POETÆ SATYRICI MINORES . Dugd: Bat: 1633.

Egerton Webbe.
(1837.)

£400 –

Ysenĭyn 235
Pökel 31
Müller Y2

POETÆ
SATYRICI
MINORES,
DE
Corrupto Reipublicæ
STATV.

MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS
recensuit, &
COMMENTARIIS
illustravit.

Accedit ejusdem

ORATIO
DE
Eversionibus Rerumpub.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ ISAACI COMMELINI.
CIↃ IↃ C XXXIII.

Splendidissimis Nobilissimisque,

LEYDENSIS ACADEMIÆ

CVRATORIBVS,

FRANCISCO ab AERSSEN,
Equiti, Sommelsdijckæ, Platæ, &c, Domino
ac Status Fœderati Belgii Consiliario,

NICOLAO à CROMHAVT.
Vryhoviæ Domino, & Provinc. Curiæ Præsidi,

ÆGIDIO DE GLARGES,
Domino d'Elesmes, & Reipublicæ Harlemen-
sis Syndico:

CONSVLIBVS,

Eorum Collegis

JOHANNI ORLERS, *Quæstori,*
DANIELI ab ALPHEN, *Rhenolandiæ Quæstori,*
GERARDO à LANSCOT, *Doctori,*
WILHELMO à MOERBERGEN, *Doctori,*

ILLIS à SECRETIS:

JOHANNI à WEVELICHOVEN, I. C.
Vrbis Leydensis Syndico.

EPISTOLA

ÆTas omnis, *Illustres Viri*, ut calamitatem suam & nequitiam sibi ipsa parit, ita secum non deponit, sed ad posteros transmittit, sive exemplo, sive benificio litterarum. Quorum illud ferre vix possumus, hoc avide devoramus. Satyras dico, in quibus priorum temporum nequitiæ simul & innocentiæ documéta habemus. Quippe ad magnitudinem scelerum parem styli amarulentiam magna ingenia hic contulere. Quorum

oris

oris libertatem nullus metus præcludebat. Portentum illud Romani Imperij, Domitianũ, videte. Ille, cum foras victus eſſet, domi de victore hoſte triumfabat. Vocem populi Romani, & libertatem Senatus, & conſcientiam generis humani crudelitate ſua abolere conabatur. Expulſis ſapientiæ Profeſſoribus omnes bonas artes in exſilium agebat. Vt nihil boni eſſet, ubi malis Cæſar indulgebat. Vidit illa ætas quid extremum & in flagi-

tiis Domitiani & in calamitate ſua eſſet. Vocem ardor animi flagitabat, metus tamen ſubinde continebat. Tantum enim abeſt, ut dicerent, quod vellent, ut vix ſentire quod vellent, liceret. Ademto tamē per inquiſitiones loquendi audiendiq; commercio, conſcientiam ſcelerum non exſtinxit. Fruſtra ſilentium aliis indicit, qui ſceleribus ſuis modum non imponit. Exinde factum, ut nonnulli, vivente adhuc Domitiano, animi ſui æſtum pro-

barint. Quemadmodũ enim illi, qui calamitate aliqua oppressi sunt, à lachrymis & suspiriis solatium quærunt, ita illi à scriptione. Tacenda non putabant, quæ nemo ignorabat. Viros mitto. Fœminæ exemplum præbuere. Quæ cum viribus non possent, scribendo & suam, & virorum innocentiam propugnavere. Dolor animũ addidit, & in sequiore sexu masculos spiritus excitavit. Quippe fœminas, sive ingenii, sive doloris magnitudine inci-

tatas, magna, & ultra viros posse, omnium sæculorum, & nostri exempla probant. Testes sunt Sabinæ illæ, quæ imperium Romanum pene in ipsis exordiis exstinctũ admirabili & prope stupendo fædere composuerunt. Testes Volumnia & Veturia, illa miracula & prodigia virtutum, quæ Coriolanum perniciosis in excidium patriæ consiliis armatum flexere. Testes Cornificia delitium Augusti, Cornelia, Gracchorum parens, Lydia

amor Catonis, Mutiæ, Læliæ, Liciniæ, quæ aut pares viris aut majores fuere. Viros certe in ſtuporem dedere. quæ ſæculi ſui & delitias, & flagitia, & innocentiam ſuam in Tabulas Æternitatis miſere. Aſſurgit animus cogitatione rerum, & magnitudine cõmovetur. Ne dubitetis, Principes Patriæ & litterarum viri; Sulpitiam vobis ſiſto, Heroinam, non ſæculi ſui, ſed ævi omnis maximam. quæ ſævitiam Domitiani ſtyli ſui acumine per-

ſodit. Iacebat oppreſſa Reſpub. & precarium ſpiritum ſub inſenſo Principe vix trahebat. Virtuti, & bonis artibus Vrbe interdictum. Sapientiæ profeſſores aut expulſi, aut miſere accepti. quippe magnitudo ingenii & necem & exilia acceleraverat. Monumenta clariſſimorum ingeniorum, delegato Triumviris miniſterio, in comitio ac foro urebantur. Non coluiſſe tantum, ſed & laudaſſe magnas virtutes, morte expiandum

ſcelus habebatur. Vivebat tunc Sulpitia, quæ virilem animum in muliebri corpore geſtabat. In hoc ſapientiæ & virtutum naufragio in ſolitudines ad ſe ſeceſſit, & Muſas ſuas, innocentiſſimas Deas in ſolatium malorum, & vindictam Principis invocavit. Cepit illa nuper ardorem meum, & ad cathedram mecum per triduum ſeceſſit. Stiti ibi hanc ſponſam, cujus ore & ſpecie ſe capi, ſpectatorum frequentia probavit. Qua libertate

Domitianum aliquando perfoderat, eâdẽ ibi loquebatur. Ibi & innocentiam ſuam, & Scipiones, illos Martis pullos, & Catones, illa ſapientiæ oracula, & Domitianum, illud monſtrum generis humani, & lapſantem Rempub. & expulſas artes, & exulantes Sapientiæ magiſtros, indignabunda oſtentabat. Obſcurius tamen, ut vivente Domitiano, loquebatur. Apertè enim vix audebat, ne in conſpectu omnium caſtiſſima matrona vapularet.

Me autem interpretem requirere videbatur. Officii mei esse putabam, nec Auditorum voluntati, nec Heroinæ isti officium hoc denegare. Proinde vestigia ejus propius legi: quãtum quidem pauperis ingenii mei tenuitas, & liberalis otii penuria, & memoria illorum temporum, quibus non vixeram, suppeditabant. Angustia quoque temporis intercludebar: dum & publicis, & privatis, quas è Danicâ nobilitate nõ pauci flagitaverant, prælectio-

ctionibus vacabam. Ad quos autem justius recurreret hoc opus, quam ad vos, Amplissimi Viri, quos ut litterarum statores, & illos, quorum benificiis respondere non possum, soleo venerari. Possem aliis ista offerre, quæ eo in loco dixi, ad quem mihi aditum auctoritate vestrâ, & humanitate singulari aperuistis? Profectum autem ab illo est, quem benevolentia vestra indignum non putastis. Non possunt hic aut virtuti vestræ, aut ardori

meo verba respondere. Tantum vobis præstabo, quantum possum. Vtinam quantum vellem! Valete Illustrissimi Viri, ac florente Repub. & Academia vestra, æternum felices vivite. LVGD. BAT. CIↃ IↃ C XXXIII. Kal. May.

Amplit. Vestræ

dicatissimus

MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS.

SERIES OPERIS.

I. SULPITIÆ SATYRA, de corrupto statu Reipub. temporibus Domitiani, præsertim cum edicto Philosophos urbe exegisset.

II. ANONYMI AUCTORIS FRANCI SATYRA de Lite.

III. MARCI ZUERII BOXHORNII in Sulpitiam Prælectiones.

IV. IANI DOUSÆ & CASPARIS BARTHII in Sulpitiam notæ.

V. M. ZUERII BOXHORNII in Satyram de Lite Animadversiones.

VI. VALERII CATONIS DIRÆ, SATYRA.

VII. M. ZUERII BOXHORNII, in eam Animadversiones, & Exercitationum in Sulpitiam appendix.

VIII. Ejusdem ORATIO de Eversionibus Rerumpub.

M. ZUERII

M. ZUERII BOXHORNII

ORATIO

DE

Everſionibus Rerumpub.

ET

Earum cauſſis.

Habita cum TROADES SENECÆ *interpretaretur.*

CLARISSIMI PROFESSORES, AVE REVERENDE, VIRI CELEBERRIMI, CÆTERIQVE NOBILISSIMI ET ORNATISSIMI AVDITORES.

ITA agitur cum rebus humanis ut occulto quodam naturæ inſtinctu ſubinde immutentur. Orbis Fabula eſt, inqua perſonam, & accipit homo, & deponit; donec veram abſolvat. Abeunt quippe omnia in hunc naſcendi et pereundi gyrum. Longævum aliquid in hac machina

nihil æternum. Attollite mecum oculos & rerum humanarum vices videte. Parvum est, syderum cursus mutari, &, ut astrologi jam dicunt, terram moveri, mare æstu agitari, invictas moles ruina consumi, regna etiam & imperia per clades, bella, flagitia ad metam feruntur. Videte tot busta florentissimarum regionum, quæ præter nomen suum & ruinam nihil omnino ad posteros transmisere. Deos videte, qui regno expulsi. Cum vix homines essent, Saturnus à filio exactus est. Sed nec tranquilla Saturni regna fuere. Vnumquodque sæculum suam sibi ruinam involvit. Auri splendorem argentum excepit, & ferrum ex ære conflatum est. Falsi estis, auditores, si ferreo illo sæculo adhuc vivere vos putatis. Dudum illud ærugo absumpsit. Pejus aliquid ferro habemus. Quantum ab auro ferrum, tantum à ferro nos distamus. Dicam, quod res est. ferrum perfregimus, & in luto habitamus. Atque hæc facta cum aut homines Dii essent, aut inter homines Dii versabantur: in primo rerum exordio, cum adhuc virtute sua cuncta constarent. Nos homines, & in hoc mundi senio nati, rerum humanarum excidia miramur, quorum exemplum Dii præbuere? Ruunt apud nos omnia, priusquam stetere. Nihil hic constantius levitate. Nihil est, quod fuimus. Nihil quod sumus. Nam hoc quod sumus aliquando dicendum est fuisse. Hominem & humana eadem pereundi necessitas constringit. Omnia mortalium opera, mortalitate damnata sunt. Inter peritura vivimus, &

petim-

petimus, quæ peritura. Nihil tam excelſum eſt, quod ſupra ruinam conſiſtit. Quo ad culmen adſcendis altius, eo ad caſum propius deflectis. In ſummâ ſanitate eſſe periculoſum apud Medicos habetur. Nam cui ad ſanitatem amplius accedere non poteſt, proximè morbum exſpectat. Qui altius evehi non poteſt, jam cadit. De regibus loquor qui ſolio expulſi, de regnis, quæ periere. Quo majora, eo graviorem caſum lapſura fecerunt. Quot orbis regna, tot exempla. Regnum non fuit, quod non collapſum eſt. Taceo de Platonis Repub. quæ non cecidit, quia non ſtetit. Quas enim Socrates leges dixit, nemo accepit. Cuſtodes electi, cum non haberent, quod cuſtodirent. De agello cavit, cum terram non haberet, de aquæductu, cum imbres deeſſent. Pœnas in facinoroſos ſtatuit, quas nunquam exegit. Præmia autem bonis, cum ne boni quidem eſſent. Bellum indixit, cum hoſtem non haberet. De pace egit, cum alium non læſiſſet. Perire non poteſt, quod nunquam fuit. Quod autem fuiſſe dicitur, & non periit, ne quidem fuit. Perituram tamen Rempublicam ſuam, ſi ſtetiſſet, ne quidem ipſe Plato ignoravit. Metam enim ipſi conſtituit, & periodos annorum. Naturales quippe converſiones Rerumpub. ſive à principibus, ſive à populis, ſive à ſingulis teneantur. Corrige per leges quod voles, nunquam herclè efficies, ut in tempore non fuerit, quod fuit. Cum tempus enim motus ſit, quæ in eo ſunt moventur. Horæ enim ad ſolis motum ex Mathematicorum præceptis æſti-

mantur. Ex horis mediæ noctis inclinationem, deinde galli cinium, inde conticuum, dehinc diluculum, deinde mane, mox meridiem, deinde tempus occiduum, mox supremam tempestatem, & ex his omnibus dies, ex diebus hebdomadas, ex hebdomadibus menses, ex mensibus annos, ex annis lustra, ex lustris sæcula, ex sæculis senectam, ex senecta eversiones Rerumpublicarum numeramus. Sic tempus, se & alios versat. Sibi ipsi, & nobis mors est. Præcedit euntem, sequitur sequentem. Quidquid natum est, sibi involvit. Vt ut cadant imperia, in nos imperium non amittit. Princeps est, aut tyrannus. Princeps dum Reges, magnates, & populos moderatur, tyrannus dum eosdem subvertit. Pereunt regna, cum diu stetere, imo ut pereant, diu consistunt. At vero quantillum illud tempus est? Pereunt fere regna, cum annis quingentis stetere. In Asiatico imperio, satis constat illud penes Assyrios quingentis & vinginti annis fuisse, post quod tempus Medi occuparunt. Athenarum etiam imperium usque ad Codrum annis durasse quadringentis & nonaginta, & post illa in Democratiam commutatum. Totidem annis floruit Spartana Respib. à Lycurgo usque ad Alexandri Magni ætatem, sub quo collapsa est. Annis circiter quingentis ab expulsis regibus ad Augustum Rempub. Romanam Consules rexere. Totidem annis, post debellatum ab Augusto Antonium, cæso Romæ Valentiniano imperium Occidentis subversum est. Vandalis Alanis, Suevis, Gothis,

Dacis, Herulis, Rigiis, Gepidis atque Hunnis in arma effusis. Tot gentes ad unius imperii excidium conjuravere quæ primo Galliam, deinde Hispaniam, tandem & Africam, & in ipsa Italia æternam Vrbem invasere. Quid annos quingentos loquor? Persicum Imperium, quod à Cyro usque ad Darium ultimum, annos ducentos & triginta floruit, tandem Alexandri illius Magni Macedonis impressione collapsum est. Græcorum etiam res annos tantum ducentos & quinquaginta stetere; post varios bellorum casus ad Macedoniæ, Syriæ, Ponti, & Ægypti Reges devolutæ. Romanorum quoque prima mutatio, qua regia potestas & nomen exacta, in annum ab Vrbe condita ducentesimum quadragesimum & quartum devenit. Pereunt non tantum regna, sed & cito. Ad cladem, ejusdem celeritas accedit. Vt plurimum ducentis, si longissime, annis quingentis consistunt. Grande mortalis ævi spatium, si cum hominum ætate componatur; parvum tamen, si Platonem audimus, & vix momentum magni illius anni, qui quindecim ejusmodi annorum millia complectitur. Contra calamitatem hanc remedium non habetur, cum tot ejus caussæ existant. Quot hominum ingenia, tot pene species Rerumpub. Vt ut autem constitues peribunt. Si regnum sit, unus, si paucorum imperium, plures, si populi, multi omnino ad excidium, concurrent. Vnus enim ad tyrannidem, pauci ad discordiam, multi ad seditiones deflectent. Tyrannide subditorum animi ad

vindictam incitantur, discordia rerum præclare gerendarum occasiones corrumpuntur, seditionibus fit, ut imperium non sit, quod esse debebat. Tyrannus enim non jubet ut paretur, concitatus autem populus non paret, ut jubetur. Regnum si vi cepisti, vi dilabetur. Pænam exspectet, qui inflixit. Quod vi captum est & tenetur Domino suo, constare non potest. Imo ne dominum quidem habet. Ejus est, qui vi præcedit, aut quem fortuna suum facit. Imperium si à majoribus accepisti, ut majores, sic imperium abibit. Succedet alius, ut putas, qui post te clavum moderabitur, forsan succedet aliquis, aut jam succedit, qui te subvertet. Qui per adoptionem adscitus est, cogitet restare alium, qui adoptabitur. Vir regnas, forsan à fæmina expellere, fæmina autem per virum peribis. Semyramis Ægyptiorum regulos, Zenobia Probum regno exegit. Fæminæ imperium viri contemnunt, quia virilem illa animum non habet; Puerum Imperatorem senes propter levitatem, senem juvenes propter severitatem indignantur. Sic ætas & sexus subinde evertunt. Sic Reipub. violentas illi manus inferunt, quorum quam maxime interest Rempublicam stare. Reges Romanos septem videte. Tam varii ingenio fuere, ut ruina Imperii postulabat. Nam & ardens Romulus, & relligiosus Numa, & bellator Tullus, & ædificator Ancus, & jactator Tarquinius, & censor Servius, & superbus Tarquinius fecere, ut agitatus injuriis populus, destitutis regibus, cupiditate libertatis incenderetur.

retur. Taceo cætera flagitia. Dicam, quibus forſan fidem non habebitis. Sapientia aliquando Reſpublicas corrumpi. Equidem cum Ariſtotele ſemper exiſtimavi magna ingenia ad moderandas res admoveri non debere. Si quid enim peccatum ſit immutant, & dum immutant omnia peſſumdant. Quantumvis autem levis mutatio, periculoſa eſt in Republica. Apud Thraces & Albanos per inſaniam diu res floruere, qui ſolem diſci magnitudine eſſe judicabant, qui lunam capiti inpendentem timebant, ne caderet, qui cælum ſcalis adiri poſſe putabant. Nihil Reipub. Romanæ ſocors ille Claudius offecit, qui cum Meſſalinam conjugem per ſpiculatorem trucidari curaſſet re confecta & eodem die ipſi nuntiata, poſt unam aut alteram horam quærebat, quid dominæ factum eſſet, quo minus ad cænam veniret. Nihil Reipub. Caligula offecit, qui ad eam vecordiam devenit, ut palam cum Iovis ſtatua Homericis verſibus loqueretur, ac plenam & fulgentem lunam in amplexus invitaret. Stupidi illi & fatui Cæſarum parum Reipub. obfuere, & profecto non obfuiſſent, ſi in fatuos incidiſſent. At, pro dolor, cum ſapientibus illis res fuit, & inde tot clades conſequutæ. Auguſti vero atque Tiberii ingenia quantum ad ſubvertendam Rempub. contulere? quorum ille induſtria ſua imperium invaſit, hic per occultas artes patrum animos faſcinavit. Hinc eſt cur aſſenſum præbere Platoni non poſſim, qui illas demum beatas Reſpub. judicavit, in quibus aut regerent Philoſophi, aut qui regunt

 Philo-

philoſopharentur. Profecto felices illæ videri poſſint, in quibus aut regunt fatui, aut reguntur. Mitto jam publicæ calamitatis cauſſam, vulgi levitatem. Non eſt enim animal quod moroſius rectorem fert, quam quod cætera domat. Mitto imperii magnitudinem, quæ florentes reſpublicas ſæpe exſcindit. Periculoſum eſt grave imperium. Difficile eſt continere, quod capere non poſſis. Navigia, quæ modum excedunt, regi nequeunt. Non amiſit multa, cui hoſtis multa ademit, quia nimia magnitudo nimiæ jacturæ locum facit. Facilius eſt quædam vincere, quam tueri. quædam hercle expeditius manus noſtræ rapiunt, quam continent. Vnde Plato ut in cæteris rebus, ita in regnis mediocritatem probabat. Hoc multarum nobis urbium oſtendit eventus, quæque in ipſo flore luxurioſa imperia cecidere. Cælitum etiam iræ, nulla mortalium culpa, evertendis imperiis gravia tamen & ſæva damna intulere. Nam & à terrâ motus & ab igne incendia, & ab aquis diluvia, & ab aëre corruptiones exſpectantur. Terra diductâ duodecim celebres Aſiæ urbes collapſæ. Aſperrima in Sardianos aëris lues, & quæ plurimum in eos miſericordiæ traxit. Apud Iuhones ignes terra editi villas, arva, vicos corripuere. neque exſtingui poterant, non ſi imbres caderent, non ſi fluvialibus aquis, aut alio humore niterentur. Aquam ſub Deucalione totum hunc orbem una ruina involviſſe, quamvis longe ante Troiána tempora, adhuc meminiſſe poteſtis. Plures etiam Reſpub. ab animalibus vexatæ. Opidum à cuni-

cuniculis in Hiſpania ſuffoſſum, à talpis in Theſſalia, ab ranis pulſa civitas Galliarum, & in Africa à locuſtis. Gyari incolas ſedibus ſuis mures exturbarunt. Horret animus magnitudine rerum, & ipſa commemoratione commovetur. Sæpe luxuriæ, & amori magna imperia ſuccubuere. Ex eo quod adoleſcentes duo in re amatoria decertarent, penitus converſa Syracuſanorum Reſpub. Et ex re uxoria eadem Dyrrachium clades involvit. Ad Troiam feſtinat animus, quæ faſces ad raptum fæminæ, & pergama ſua ſubmiſit. Ecce inconſtantiam rerum humanarum, & ob leviſſimam cauſſam florentiſſimum orbis regnum everſum. quæ in divina Annæi Troade velut è ſpecula videmus. Quot ibi verba, tot lachrymarum, & inſtabilis in ſervandis imperiis fortunæ argumenta. Solvunt ibi capillos ſuos Troades, & dum veſtes reſcindunt, remedium dolori quærunt. Cineribus decoros vultus, ſed decennii calamitate jam maceratos involvunt. Stant nudati exhauſti artus. Fruſtra enim pectora captivus pudor velabat. Vident nivoſam Idem rogis Troanorum nudatam. Vident incenſam urbem, cum jam tot ſæcula ſtetiſſet. Vident diu quæſitas opes jam Græcorum eſſe. Vident jacentem Hectora, moram illam fatorum. quo ſtante cadere Troiam non licebat. Ita fatalis illa neceſſitas, quotiens regna evertit, quidquid adverſum ſibi eſt proſternit. Hector, cui vitam Troia debebat, eandem Achilli refudit. Vident Priamum jacentem, qui hoc uno felix fuit, quod omnia ſecum conſumpta

viderit. Cum enim mactaretur, caussam, cur viveret, non habebat. Inter medios ignes rogo carebat. Captum regnum. Elati filii, in spem ejus educati. Hecuba adhuc precariam inter infensos animam trahebat, sed ut postmodum latraret. Factum hoc cum patrum cineres filiorum sanguinem haurirent; cum his, qui superstites erant, vita, & illis, qui ceciderant, sepulchra negarentur. Cum obsessos cladibus Troianos non servitutis, sed domini puderet. Habent hic exemplum Principes, quod sequantur. Ante oculos enim habenda, & quæ facta sunt, & quæ futura. Illa exemplum, hæc consilium suppeditabunt. Videte hic fragilitatem imperii & rerum humanarum. Reges aliquando regibus dantur. Reverenter igitur magna fortuna habenda est, tanquam aliquando elapsura. Nemo hac se attollat, ne demittere se cogatur. Ferrum hoc, quod in hostem quis adegit, forsan ipsi cras necem impinget. Eodem in loco ubi jam tropæum figit, cras tumulum habebit. Vbi jam imperat ita se gerat, tanquam brevi serviturus. Stare se putat, sed jam cadit. Regnum Fortunæ ludus est. Hic accipit, quia non habuit, ille perdit, quia jam possedit. Vter felicior ignoro, nisi felicior sit accepturus imperium, ut paullo post perdat, quam qui accepit.

DIXI.

Sulpitiæ Elogia.

I. CÆSAR SCALIGER IN *HYPERCRITICO.*

AIunt Sulpitiam fuiſſe temporibus Domitiani. Ejus Satyra falſo Auſonio attributa fuit. Satis enim patet à fæmina factos verſus in quibus Muſa cultricem appellat ſuam, quæque ait ſeſe primam docuiſſe Romanas mulieres poſſe cum Græcis Poetriis comparari.

Primaque Romanas docui contendere Graiis.

In ea multum dexteritatis ad Satyricam amarulentiam aſpirantis. Numeri vero, ut in eo genere poematis non contemnendi. Igitur ut tam laudabilis Heroinæ ratio habeatur, non auſim objicere ei judicii ſeveritatem.

SIDONIVS APOLLINARIS.

Non Getulicus hic tibi legatur,
Non Marſus, Pedo, Silius, Tibullus
Non quod Sulpitiæ jocus Thaliæ
Scripſit blandiloquum ſuo Caleno.

SVLPITIÆ

SATYRA,

DE

Corrupto statu Reipub. temporibus Domitiani, præsertim cum edicto Philosophos urbe exegisset.

Musa, quibus numeris heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi dexere paucis.
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium. quare nec carmine curro phaleuco,
Nec trimetro jambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
Cetera quinetiam, quot denique millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et salibus variare novis, constanter omitto:
Teque, quibus princeps & facundissima calles,
Aggredior. Precibus descende clientis, & audi.
Dic mihi Calliope, quidnam pater ille deorum
Cogitat? an terras, & patria sæcula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, & jam rationis egenos,

Non

Non aliter, primo quam quum surreximus ævo,
Glandibus & puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus, & urbes:
Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? Duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, & socialibus armis,
Ceteraque imperia, & totum simul abstulit orbem.
In freta Sicaniæ, & Carthaginis exiit arces,
Deinde, velut stadio victor qui solus Achæo
Languet, & immota secum virtute fatiscit:
Sic itidem Romana manus, contendere postquam
Destitit, & pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges & Graja inventa retractans,
Omnia bellorum terra quæsita, marique
Præmia consilio, & molli ratione regebat.
Stabat in his, neque enim poterat constare sine ipsis:
Aut frustra uxori, mendaxque Diespiter olim,
Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.
Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluvie albus.
Et studia, & sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras, atque Urbe excedere jussit.
Quid facimus? Grajos, hominumque reliquimus urbes,

Ut Romana foret magis his instructa magistris.
Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
Ensibus, & trutina Galli fugere relicta:
Sic nostri calare senes dicuntur, & ipsi
Ut ferale suos onus exstirpare libellos.
Ergo Numantinus, Libycusque erravit in isto
Scipio, qui Rudio crevit formante magistro,
Cetera & illa manus bello fecunda secundo,
Quos inter Prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis,
An magis adversis staret Romana propago.
Scilicet adversis. nam quum defendier armis
Suadet amor patriæ, & captiva penatibus uxor,
Convenit ut vespis, quarum domus arce Monetæ,
Turba rigens strictis per lusa corpora telis.
Ast ubi apes secura redit, oblita favorum
Plebs, materque una somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa, & gravis exitium, pax.
Hoc fabella modo pausam facit. Optima posthac
Musa velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
Vivere, uti quondam Lydus dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint. vel denique quidvis,
Ut dea, quære aliud. Tantum Romana Caleno
Mœnia, jucundos pariterque averte Sabinos.

Hæc

Hæc ego. Tum paucis Dea me dignatur, & infit:
Pone metus æquos, cultrix mea. Summa tyranno
Hæc instant odia, & nostro periturus honore est.
Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale, manet hunc pulchrum sua fama dolorem.
Musarum spondet chorus, & Romanus Apollo.

FRAGMENTVM EX *LYRICIS* SVLPITIÆ.

NE me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Caleno concubantem viderit.

FINIS.

ANONYMI
AVCTORES FRANCI
SATYRA
DE
LITE.

O diræ lites, ô Jurgia dira Reorum,
O Furiis, Ereboq; satæ, mortalia semper
Continuo diro laniatu corda secantes!
Queis neque deterius potuit, neque tristius ullum
Juppiter iratus terris immittere monstrum.
Quæ lassis requiem membris, somnumque negatis,
Omnia quæ pravo Naturæ vincula more
Solvitis, & junctas æterno fœdere dextras
Cogitis adversis concurrere cominus hastis.
Quæ firmum nihil esse, ratum nihil esse jubetis
Quæ Regum Comites, ultroque impellitis ipsos
Nescio quâ dulci Reges dulcedine captos
Currere in hoc stadio; nec honestâ vincere pugna.
At meliora tamen succedunt ultima primis
Aut ferrum fulvo fortasse rependitis auro,

Et

Et cum multa rei tulerint incommoda, tandem,
Grande lucrum referunt. Quale hoc? lucrentur ut assem
Tota resignatis fundunt patrimonia fiscis.
Quid quod multa ferunt servis indigna? suique
Obliti generis, nunc vilis ad ostia scribæ,
Manè sedent, illumque forum comitantur euntem,
Observant quam longa dies, & nocte reducunt.
Hinc ubi clauduntur manibus subsellia ferreis
Lictores solio insignes, virgaque superbos,
Suspiciunt humiles, aditumque precantur & orant.
Aut mixti media certant irrumpere turba,
Excipiuntque nihil præter maledicta, levesque
Astantum risus, & vulnera sæpè reportant.
Tantane venturi spes vos sustentat honoris,
Libertas ne sit potior? tu scilicet ista
Nobilitate ferox, istisque parentibus ortus,
Vilibus officiis submittere libera colla
Pulcrius esse putas, ut ne videare propinquo
Aut alii cessisse tuis de vitibus ullam?
Instar equi viridem in prato qui solus ut herbam
Pasceret, impigro veritus concurrere cervo,
Fugit ad externas vireis, hominumque poposcit
Auxilium, dorsoque equitem, frænumque recepit

Ore, quoad totis ſuperatus cederet herbis
Æmulus. At quanti victoria conſtitit illi!
Victor eques domito vetuit deſcendere dorſo,
Nec victoris equi manibus detruſit habenas.
Quid tu? Ne fiat res aſſe tibi minor uno
Ne plus accipiat, ſibi ne plus arroget alter,
Tot ſuperinducis Dominos, elate, ſuperbos.
Elato capiti, tot ſpurca redemtaque nummis
Mancipia, unius quia mores ferre nequiſti;
Viſus quod potior tibi pace teruncius alma.
At tibi ne fuerint, quæſo, tua commoda tanti
Neve adeò pulcrum ducas civilibus armis
Vincere, & excutias animo generoſa tuorum
Facta, quibus magno vitæ diſcrimine partos
Hos quondam titulos atque hæc inſignia genti
Tranſmiſere tuæ. Tu degener arma relinques
Digna viro? potiuſque ſtyli mordacis acumen
Intendes ſociis, & civibus atque propinquis,
Quàm ſtringes gladium patriæ generoſus in hoſtem?
Si res eſt jactanda, modo jactetur honeſto.
Aude aliquid melior quo ſit Reſpublica, & unde
Immortalis honos, æternaque manet in omneis
Gloria, venturos poſt ſecula longa, Nepoteis.
Nobilitas veræ ſe captam laudis amore

Præ-

Prædicat: in promtu laus est; facilisque paratu.
Si falsam vera scires distinguere laudem.
Vt vincas modicam sub auaro judice litem
Vendis agrum, vendisque paternas, improbus, ædeis,
Vt patriam tuearis equisque armisque parandis
Sordidus, exiguum quadrantem impendere nolis?
Non ita Francorum surrexit gloria cœlo:
Non inclusa foro, non his exercita pubes
Artibus, Europæ atque Asiæ circumtulit arma.
Castra forum, stilus ensis erat, secura domi Pax.
Cum patriæ bellum communiter hoste gerebant.
Verum hæc nec puer edidici, nec tradita Patri
Accepi, nec Aristotelis de moribus umquam
Librum, aut divini Platonis dogmata legi.
Me pater admonuit puerum, me semper adultum,
Rem facerem: bona quæ delata parentibus hæres
Cepissem, quacunque via & ratione tuerer.
Quo me defendam potius quam Judicis atque
Legum præsidio? quibus illum justius armis
Extrudam laribus patriis, fundoque paterno?
Hunc circumveniam, captumque in vincula ducam,
Unde queat non ipse fugax evadere Protheus?
Nec vero nihil iste videtur dicere caussæ
Res & divitiæ cum sint extrema bonorum,

Quamquam rem melius maturè abjecerit, ut ne
Cum rebus pariter meliores perdat & annos.
Istis quid facias, istis, qui limina sacra
Musarum, tripodes sacros, & Apollinis arcum
Attigerint? Libris videas quos sæpè relictis
Amplecti Liteis, inimicaque jurgia Musis?
Jactari circum omne forum, circum omne tribunal?
Non sic Democritus, non qui bona perdere avita
Non dubitavit, ut hoc quasi pondere mente levatus
Liberius studiis incumbere posset honestis.
Ergo vide sacras tua ne sententia Leges
Et pariter Legum consultos pellat ab urbe,
Turbarum ut cupidos, & seditionis amanteis,
Consultos ego Legis & ipsam tollere Legem
Amens voce meâ jubeam? cui nulla videtur
Publica res sine lege diu consistere posse,
Quæ sceleri pœnam, virtuti præmia ponit,
Utilis ipsa quidem multisque referta beatè
Ac benè vivendi præceptis: sed quotus illam
Quisque solet dextris hodiè contingere puris?
Turpia degeneres vilis contagia lucri
Corrumpunt animos. Lucris inhiamus avari.
Atqui de magnis & multis litibus ampli
Existunt reditus, veniunt uberrima lucra.

Moli-

Moliri caussas igitur conamine toto
Expedit, atque animos intendere Litis amori.
Commonstrata forum via quæ lectissima ducit
Implendi spe certa animi, Litisque serendæ,
Multiplicem ut fructum reddat cum fœnore campus.
Si fuerit nostra Lex adversaria caussæ
Si judex custos rigidus, Legisque magister,
Quærenda est ratio qua Legem eludere possis:
Qua vafri quamvis & acuti judicis aurem
Decipias. Hæc prima solent exordia Lites
Sumere, sic quoque Lis deinceps ex lite resurgit,
Et forti semel una manu jugulata, cadendo
Restituit plures alias, mirabile dictu,
Angulus ecce vides qui sese projicit extra
Mœnia Lata fori, Galeoti pone tabernam,
Vendit ubi fucos unguentaque mollia quidam
Insubrum aut Ligurum nuper qui venit ab oris.
Ad quem sæpè velut scopulum est illisa reorum
Et projecit opes immensas naufraga puppis.
Angulus iste dolis plenus, te multa docebit,
Optima, judicibus tenebras obfundere cæcis,
Extrahere in menses multos & ducere Litem,
Si quæ deterior modo contestata fuisset,
Quo possis pacto meliorem reddere caussam.

Hinc ſpes & ſcelerata reis audacia creſcit.
Hinc animos ſumunt, & ferrea, Juppiter, ora,
Appellatorum, multos metuentia caſus.
Talia Romanis noſtriſque in legibus eſſe
Monſtra nego; commenta fori ſunt iſta parandis
Augendiſque opibus: leges aliena cavere
Furta, cavere aliis potius quam fallere monſtrant.
Diſſidia & lites placida componere pace
Et caſtas ſervare manus, & parcere ſumtu,
Nullam ex diſſidiis alienis cogere prædam,
Commiſſos curare greges, & commoda plebis,
Quæ lites minuunt, concordia ſæpius auget.

FINIS.

M. ZVERII BOXHORNII
IN
SVLPITIAM
PRÆLECTIONES.

PRÆFATIO.

IN QVA
De eruditis fœminis; vita, scriptis & ingenio Sulpitiæ agitur.

SATYRA hæc Sulpitiæ Romanæ, quam explicandam sumpsimus, tam erudita, elegans, & nervosa est, tantique eo nomine à viris maximis semper habita, ut non tantum cum ejus generis virorum scriptis possit contendi, sed & nonnullis eorum debeat præferri. Fæminæ quidem opus esse nolim inficiari. At vero ita semper existimavi, ad sapientiæ arcana, & hæc studia litterarum nullius industriæ aditum præcludi. Vt virtutis, ita

ita eruditionis omnes capaces. Nec ſexum fas eſt, nec naturam eâ in parte calumniari. Sæpe fæminarum animis maſculam quandam & divinam mentem, erectoſque ſpiritus ſupremus ille ingeniorum artifex incluſit. Animus noſter, pars illa & ſpecies divinitatis, ab externo corporis habitu fatigari quidem poteſt, ſed non opprimi aut evelli. Sæpe ibi vires exſerit, ubi minime exſpectatur; & ibi claudit, ubi vigere oportebat. Mitto abdita fabularum, & Æſopi regnum, in quo Rempub. bruta fecerunt. De ſequiore illo ſexu diſceptamus. Vt Sol radios ſuos per caliginem nebularum ſubinde diſpargit, ita illa mortalium regina ratio, vim ſuam per fæminas non ſemel expandit. Palladem ſapientiæ præſidem, & tamen fæminam, Muſas, cultrices ingeniorum, & tamen virgines fabulati ſunt antiqui. Nec inter Deos tantum, ſed & inter homines id uſu venit. Primo occurrit Sappho Leſbia adoleſcens, quæ multis Græcis vatibus non inferior, & docte & ſuaviter verſus ſublimi ingenio ceciniſſe non contenta, etiam Sapphici carminis inventrix fuit. Sapphon tanquam magiſtram imitata eſt Erynna Rhodia, cujus poema Doricum excellen-

tia

tia carminis etjam cum Homero contendiſſe ferunt. Pariter quoque Corinna, ut Suidas tradit, Thebis de poeſi cum Pyndaro contenderat, quem quinquies rara gloria ſuperarat. Aretia etiam Cyrenaica Ariſtippi patris Socratici dogma ſecuta, adeo excelluit, ut mortuo patre, idonea haberetur, quæ in Philoſophia patris Scholam regere poſſet, quam & ingenti gloria, quamdiu vixit, moderata eſt. A Græcis ad Latinas venio. Nam nec Roma infæcunda fuit eruditarum fæminarum. Cicero quippe Corneliam Gracchorum matrem, Leliam etiam, Mutiam & Liciniam rari cujuſdam ingenii & doctrinæ nomine paſſim commendat. Pollam etiam argentariam, Poëtæ Lucani uxorem tantis animi & doctrinæ dotibus inſtructam fuiſſe ſcriptum eſt, ut cœptos permultos à viro verſus ipſa maritalis ſtyli gravitate atque elegantia perfecerit. Quod de ſua quoque coniuge Calpurnia Plinius Secundus teſtatur. Ad Sulpitiam noſtram venio, quæ Domitiani temporibus præcipue inclaruit. In Poëſi ad invidiam excelluit. Libros amorum, & epiſtolarum ſcripſit, qui temporum iniquitate ſunt intercepti. Duorum tantum verſiculorū reliquiæ con-

 ſerva-

servatæ sunt apud veterem Iuvenalis Scholiasten. Cum tamen plurima scripserit, ut ipsa non obscure de se testatur, cum inquit,

Cætera quinetiam, quot denique millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis
Et salibus variare novis, &c.

In scribendo fere Phalæcos & Iambos, & Schasontes usurpavit, ut ex prioribus Satyræ versiculis disertim patet. Porro omittendum non est Sulpiciæ poemata fere Ausonio; Tibullo, & Iuvenali in veteribus libris à Philologis subjecta fuisse. Vnde non levis conjectura desumi posset, deleto Sulpitiæ nomine plurima ejus poemata Ausonio atque Tibullo adscripta esse. Sane in MSS. Tibulli codicibus Epigramma, cujus initium, *Parce meo Iuveni*, Sulpitiæ clare adscribitur his verbis, Svlpitia ad Cherinthvm de Venatione Permittenda: versiculos à singulari genio & amænitate maxime commendat Martialis, qui eisdem illis temporibus vixit. Versus ejus exstant lib. x. Epigramm. trigesimo & quinto.

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
Vni quæ cupiunt viro placere,
Omnes Sulpitiam legant mariti,

Vni

Vni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hac Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ,
Scyllam Byblida nec fuisse credit.
Sed castos docet & pios amores
Lusus, delitias, facetiasque.
Cujus Carmina qui bene æstimarit
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Egeriæ jocos fuisse
Vdo crediderim Numæ sub antro
Hac condiscipula, vel hac Magistra
Esses doctior & pudica Sappho
Sed tecum pariter, simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret
Frustra namque ea nec Tonantis uxor
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

Dignum profecto eruditâ & castâ fæminâ elogium. Sed roget hic aliquis quomodo castos amores scripsisse fæmina potuerit? Præter decorum enim est, si fæmina viro amorem & ardorem suum palam testetur. Sulpicia jam viro sua elocata amatorios ad ipsum versiculos scripsit, quibus amorem suum, & benivolentiam ipsi testabatur.

Quod

Quod caste fieri potuit. Quanquam sane, ut verum fatear, fragmentum illud apud Iuvenal. Scholiast. *Ne me cadurcis destitutam fasciis Nudam Caleno concubantem viderit*, satis petulans & lascivum sit. Castos igitur Sulpitiæ versus Martialis appellavit respectu suarum nequitiarum. Exstat & aliud apud eumdem Martialem, elogium Epigrammate XXXVIII. ejusdem libri, ubi Calenum, amœnissimi, ut videtur, ingenii virum felicem fortunatumque Poeta exclamat, quod Sulpitiam uxorem haberet.

O molles tibi quindecim Calene,
Quos cum Sulpitia tua jugales
Indulsit Deus & peregit annos.
O nox omnis, & hora, quæ notata est
Caris littoris Indici lapillis.
O quæ prælia, quas utrinque pugnas
Felix lectulus, & lucerna vidit
Nymbis ebria Nicerotianis.
Vixisti tribus ô Calene lustris.
Ætas hæc tibi tota computatur
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos, vel unam

Mal-

Malles, quam Pyliam quater senectam.

Nihil dici poſſet venuſtius. Vixerat jam Calenus cum Sulpitia ſua annis totis quindecim, quo tantum tempore illum vixiſſe teſtatur Martialis. Reliquum enim vitæ anteactæ tempus ne quidem vitam fuiſſe. quippe deerat ſuave illud Sulpitiæ conſortium. Vnde apparet feſtivi admodum excitatique ingenii fæminam fuiſſe. Sulpitia autem præter illa, quæ jam diximus, Heroico etiam carmine, & ſatyrico ſcribendi genere illaudata Domitiani, peſſimi Imperatoris, tempora deflevit, ſumptâ ſcribendi occaſione ex eo, quod Domitianus Philoſophos, & bonarum omnium artium Profeſſores crudeli edicto urbe exegiſſet. Hoc enim præcipuum argumentum eſt hujus Satyræ; ad quam jam accedamus.

Muſa, quibus numeris Heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.

Orditur Sulpitia Satyram ſuam ab invocatione, more poëtarum. Ea enim veterum paganorum relligio & pietas fuit, ut quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi quoque initium à preca-

cationibus caperetur, quod nihil providenter homines ſine Deorum immortalium ope, conſilio honore auſpicarentur. Cum autem Muſæ bonarum artium præſides habeantur, non alienum erit ab hoc loco deſpicere cur à poëtis tantum Muſæ invocentur. Sciendum igitur eſt duplex artium genus eſſe. Quædam enim in ſimplici narratione, quædam autem in rerum, quæ non ſunt, inventione conſiſtunt. Ad primam illam artium claſſem, nempe quæ in narratione conſiſtunt, Philoſophos, Hiſtoricos, & Oratores revocamus. Philoſophi enim inculcant illa, quæ in rerum natura ſunt, aut quæ fieri debent. Hiſtoricus illa tradit quæ geſta ſunt. Orator illa perſuadet, quæ aut facta ſunt, aut fieri debent. Ad ſecundam claſſem Poëtas revocamus. Poëtæ enim ejuſmodi fere tradunt, quæ nec fuere, nec ſunt, aut certe non ita, quemadmodum ſunt. Adeo ut aliarum tantum ſit diſponere, Poetices ſit & invenire, & ea quæ jam inventa ſunt diſponere. Nam quæ omnium opifex condidit, ea reliquæ artes repræſentant. Poetica vero cum res aliter, quam revera ſunt, aut eorum, quæ non ſunt, ſpeciem ponit, videtur ſane res ipſas non

narra-

narrare, ut aliæ artes, ſed formare & condere. Cum ergo inventio præcipua ſcientiarum pars ſit, Muſæ autem præſides ſcientiarum, hinc factum eſt, ut Muſæ pro peculiari Poetarum numine habitæ ſemper fuerint. Ergo ſoli Poetæ ſibi Muſarum tutelam vindicant atque patrocinium, quarum beneficio quæ alios latent, & quæ non ſunt, ab illis inveniuntur. Sulpitia autem cum hic Muſam invocat, non omnes novem intelligit, ſed vero unam tantum earum nempe Calliope. Hoc enim innuit, cum inquit, *Muſa quibus numeris Heroas & arma frequentas, Fabellam permitte mihi detexere paucis.* Id eſt, O Muſa, concede mihi & permitte ut illo verſu jam canam, quo magnorum heroum facta & arma deſcribuntur, id eſt carmine Heroico. Calliope autem carminis Heroici Præſes eſt ut Melpomene Tragici, Polyhymnia Lyrici, Thalia Comici & ita porro. Nam ſingulis Muſis ſingula carminum genera ſacra ſunt & dicata. Vnde & Calliope pro verſu Heroico, Polyhymnia pro Lyrico, Melpomene pro Tragico, Thalia pro Comico uſurpatur. Muſa igitur hic eſt Calliope. Sic Virgilius lib. IX. *Vos ô Calliope precor aſpirate canenti.*

Quas

Quas ibi tum ferro ſtrages, quæ funera Turnus Ediderit. Sulpitia autem Calliopen hic invocat, quia hactenus Lyricos verſus conſcripſerat. Hoc autē primum opuſculum erat, quod Heroico carmine conſignaverat. Invocat ergo Calliopen tamquam in re nova, & verſu hactenus ſibi inuſitato.

Muſa, quibus numeris] Numeris, id eſt, verſibus, in quibus pedes ſinguli & ſyllabæ ad artis normam numerantur. Vnde & *numeroſus* dictus Horatius, quod cum in Satyris materiam quam maximè à Poetarum amænitate alienam tractaret, ad ſtylum & numeros oratorios quam proximè acceſſerit.

Heroas & arma frequentas.] Haud dubie alludit hic Sulpitia ad illud Virgilianum *Arma virumque cano.* Vt autem qui Heroes apud gentes fuerint, rectè intelligamus, ſciendum eſt. Primum mundi ſæculum fuiſſe quod aureum dicebatur, quo, regnante Saturno, Deos homineſque natos eſſe fabulati ſunt antiqui: qui Dæmones poſt mortem facti. Secundum deinde hominum genus natum eſt, qui poſt mortem propter inpietatem terra donati & ſepulti ſunt. Tertium hominum genus, ſæculo nempe æneo, fuit, quod ipſum

etiam

etiam propter impietatem æternis ſub terra tenebris Saturnus damnavit. Sequutum deinde eſt quartum hominum genus, juſtum, & magnificum, qui Semidei aut Heroes appellati. Heroes autem nomen habent non à Iunone, ut fabulantur Grammatici, ſed verò ab amore, ut eleganter alibi diſſerit Plato; quod videlicet Heroes, vel ex amore Deorum erga mulieres humanas, vel ex amore hominum erga Deas geniti ſint. Vnde & Semidei dicuntur, quod partim ex Diis, partim ex hominibus eſſent oriundi. Primis enim illis temporibus Dii adhuc inter homines verſabantur. Hinc Virgilius in *Egloga*, cui nomen Pollio, Heroas Divis permiſtos appellat.

Ille Deum vitam accipiet, Diviſque videbit
Permiſtos Heroas, & ipſe videbitur illis.

Nihil dici poſſet elegantius. Permiſti Divis Heroes, quia ſemen hominum, Deorumque ſimul ad generationem Heroum defluxit. Porro Heroes animas ex igne habuiſſe fabulantur Veteres. Vnde; *Vigor igneus ollis*. Quamobrem paſſim apud Homerum & Virgilium videmus Heroes tantopere ab aquis & naufra-

gio abhorrere, quod nempe metuerent, ne contrario elemento ille animi ignis & ardor, ex quo constabant, exstingueretur. Ait igitur Sulpitia nostra.

Musa, quibus numeris Heroas & arma frequentas.

Frequentas hic ponitur pro, concelebras, hoc est celebres facis, reddisque honoratos ac insignes. Nisi potius *frequentare* hic idem sit, quod, frequenter & plurimum facere. Vt sit sententia Sulpitiæ: Musa, inspira mihi illos numeros & versus, quibus magnorum Heroum res & arma ut plurimum soles celebrare. Nam aliquando etiam alio carminum genere præclara Heroum gesta solent consignari, ut in Pyndaro aliisque auctoribus videmus.

Fabellam permitte mihi detexere paucis.] Fabellam, id est, sermonem. Quemadmodum nonnullas Satyrarum suarum Horatius Sermones appellavit. Quod nempe stylus in illis esset non magnificus, sed humilis, depressus, & familiari confabulationi quam simillimus. Fabula autem à fando dicta non solam ficti-

tiam

tiam narrationem, ſed etiam veram & certam denotat. Sic fabuloſus apud Apulejum pro memorabili uſurpatur. Plauto fabulari paſſim eſt loqui. Sic Flavius Vopiſcus dixit; *non inepta neque inelegans fabula eſt, ſcire quemadmodum Imperium Probus ſumpſerit.* Non inepta fabula, id eſt, non ineptus ſermo. Sic lupus in fabula idem eſt, ac lupus in ſermone. Poſſet tamen fabella hoc loco etiam figmentum interpretari. Quia Sulpitia fingit Calliopen velut Cælo deſcendere, & reſpondere ad illa, quæ rogantur. Ergo

Fabellam permitte mihi detexere paucis.] Metaphora deſumpta eſt à lanificio vel textura Vnde textus, contextus aliaque adhuc in uſu. Eleganter autem dixit Sulpitia *detexere*, non autem *pertexere*. Quia hoc minus eſt. Pertexere enim eſt pannum aut telam perficere; detexere autem eſt, telam jam perfectam de machina textoria deponere. Adeo ut detexere hic ſit, perficere, abſolvere, & uſque ad extremum finem perducere. Subdit Sulpitia,

Nam tibi ſeceſſi, tecum penetrale retractans Conſilium.

Nam tibi secessi.] Elegantissime dictum. *Tibi secessi*, id est, totam me tibi consecravi Calliope, tota tua sum. Solam te complecti, solam te sequi, & divini carminis tui majestatem excolere mihi est animus. Secessi autem dixit, quia, ut ait Poëta.

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.

Et sane Poëta magnum aliquid & memorabile conditurus, necesse est ut se extra res humanas in solitudinem rapiat, vacuus curarum, & ab aliis omnibus laboribus alienus. Et veteres ideo Musis sylvas & nemora attribuerunt, ut significarent amænos secessus iis quærendos esse, qui Musis & Apolline dignum scripturi sint carmen. Poëtæ tamen eo nomine reprehenduntur apud Quintilianum in Dialogo de oratoribus, qui Tacito vulgo adscribitur, *Adjice*, inquit, *quod Poetis, si modo dignum aliquid elaborare & efficere velint, relinquenda conversatio amicorum, & jucunditas Vrbis, deserenda cætera officia, utque ipsi dicunt, in nemora & lucos, id est in solitudinem recedendum est.* Sed criminationi illi apud eundem Quintilianum elegantissime respondet Mater-

Maternus quidam, *Nemora*, inquit, *& luci, & ſecretum ipſum, quod ab aliis increpatur, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quod nec in ſtrepitu, aut ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes ac lachrymas reorum componuntur: ſed ſecedit animus in loca pura atq; innocentia, fruiturque ſedibus ſacris*. Et ſane Poëtæ cum res faciant plus quam humanas, neceſſe eſt ut ad condendum tam divinum opus, relicto hominum conſortio, in ſe ad ſolitudines ſuas ſecedant. Ibi liber animus vim ſuam expandit, & nulli rei intentus eſt, niſi quam quærit. Tunc collecta, ut loquitur Claudianus, mens, relicto velut paululum corpore, ad maximarum rerum contemplationem ſe accingit. Ergo Sulpitia Muſæ ſuæ ſeceſſit, & animum ſuum, ſedatum jam & compoſitum, ad præſens opus præparavit.

Tecum penetrale retractans, Conſilium] Penetrale, id eſt occultum & ignotum conſilium. Penetralia, ſunt occulta quæuis, & non ita obvia in ædibus loca. Vnde & Penates Dii Penetrales appellantur, quod in illis colerentur. Sed quod eſt illud penetrale conſilium

 quod

quod cum Calliope retractasse se hic dicit Sulpitia? Nihil aliud vult Sulpitia, quam se cum Calliope egisse, quo consilio Domitianus urbe Philosophos exegisset, & simul bonas omnes artes proscripsisset. Eleganter autem dixit *retractans*. Retractare enim nihil aliud est, quam unum & idem sæpius repetere, & expensis in utramque partem rationibus, nunc hoc, nunc illud animo suo persuadere. Subdit Sulpitia,

Quare nec carmine curro Phaleco,
Nec trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.]

Hoc vult Sulpicia; se jam totam sese Calliope addixisse, ac proinde animum sibi esse, omissis Phalecis, Iambis, Ioniis, aliisque carminum generibus, in Heroici carminis majestate vires suas experiri.

nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.]

Elegans circumscriptio. Intelligit autem carmen Ionicum, quod in Clazomeniis, quæ pars Ioniæ est, sit inventum *Fortiter* id est valde

de *irasci* didicit. Nam quemadmodum in Heroico carmine efferre se potest, animus, in elegis tristari, in Jambico & Ionico egregie potest stomachari. Porro patet ex hoc loco magnum in Sulpitia ingenium fuisse, quod non in Lyricis tantum, sed & in Heroico scribendi carminis genere excelluerit. Raro enim fit, ut in omnibus quis excellat. Sic Virgilius melior est in Heroico, quam Elegiaco, Ovidius melior Elegiaco, quam Heroico. Horatius gravis & elegans in Odis, in Heroicis subinde jacet, atque languet. Nempe humanum ingenium hic aut ibi excellit, & omnes formas simul non capit. In aliis enim atque aliis carminum generibus, alii atque alii affectus requiruntur. Vnus autem & idem animus eodem fere modo semper est comparatus. Etenim ridiculus futurus erat Aristophanes, si jocosum ingenium ad Tragædias scribendas transtulisset, contra ridiculus Euripides, si morosum animum ad Comædias applicuisset. Magni igitur ingenii in Sulpitia argumentum est, quod & in Lyrico & Heroico versu pangendo excelluerit, quod & Amores & Satyram

ſcribere potuerit, quæ quam maximè diverſa. Sequitur apud Sulpitiam.

Cætera quinetiam, quot denique millia luſi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et ſalibus variare novis, conſtanter omitto.]

Hoc vult Sulpitia. Non Phalecum,& Iambicum & Ionicum tantum omittam, ſed & cætera poemata mea, quæ prope infinita, quibus ego Romana cum Græcarum fæminarum elegantia uſque ad invidiam contendi, deinceps non attingam. Sunt autem verſus illi profecti ex animo, qui tam rigido Domitiani de exigendis Philoſophis edicto haud leviter erat perturbatus. Oſtendit enim Sulpitia, illo ſe tempore vivere, quo Muſæ, innocentiſſimæ Deæ, contemnerentur, quo bonæ omnes artes, & earum Profeſſores proſcriberentur; ac proinde animum ſibi eſſe, amatoriis illis relictis, in Domitianum, ſcientiarum omnium & diſciplinarum hoſtem ſtylum ſtringere.

Quot denique millia luſi.] quot millia, id eſt, infinita, innumera. Numerus enim certus hic ponitur pro incerto.

Primaque Romanas docui contendere Graiis.]

Verſic-

Versiculus hic primâ quidem fronte innuere videtur, quasi Sulpitia prima fuisset ex Romanis fœminis, quæ animum disciplinis & famam scriptis tradidisset. Verum enim vero ante Sulpitiam sub Augusto Cornificia versus scripsit. Cur ergo, roget aliquis, primam hic se dicit Sulpitia? Duas ob caussas. Primo quia Sulpitia prima fœminarum Romanarum Amorum libros conscripsit. Deinde prima Iambos composuit, & Phalæcos, & Jonicos, quibus præcipuam doctrinæ & ingenii famam accepit. Ergo

Primaque Romanas docui contendere Graiis.

Id est, illa ego prima sum, que exemplo meo probavi Romanarum ingenia Græcis non esse inferiora. Alludit autem præcipuè ad Sapphon, quæ Lyrico præsertim carmine apud Græcos inclaruit.

Et salibus variare novis.] Intelligit hic Sulpitia, libros, quibus varii generis & argumenti carmina sua inseruerat. Cuiusmodi variorum Poematum libri *Sylvarum* nomine à Statio Papinio appellantur. Nisi *variare* hic potius idem sit, quod varietate elegantiarum & in-

ventionis illuſtrare & exornare.

Teque quibus Princeps & facundiſſima calles
Aggredior, precibus deſcende clientis & audi.]

Concludit hic invocationem Sulpitia, imitata illud Horatii lib. 3. oda 4.

Deſcende Cælo, & dic age tibia
Regina longum Calliope melos.

Teque quibus princeps & facundiſſima calles.] Principem Muſarum Calliopem hic appellat Sulpitia, ut reginam Horatius. Quare autem Calliope princeps & regina Muſarum vocatur? Quia nempe maſculam materiam tractat, ut genus, vitam, & geſta magnorum Heroum; deinde quia ipſa Heroici carminis norma & ratio ſine majeſtate quadam non conſiſtit.

Et facundiſſima calles] Callere hic ſignificat pollere & excellere. Adeo ut Sulpitiæ ſententia ſit. Te aggredior Calliope illo carmine, in quo facundiam tenes, & principatum.

Precibus deſcende clientis & audi] Precatur Sulpitia Calliopen ut cælo deſcendat; ex ſententia veterum gentilium Theologorum, qui Muſis ſingulis in cælo ſingulos orbes cæ-

leſteis

lesteis dederunt. Vt eleganter disserit Macrobius lib. 2. cap. 3. in Somnium Scipionis. Atque ita quidem invocationem Sulpitia concludit.

Pergit jam, & finita invocatione ad rem ipsam, id est, iniqua & infesta virtutibus Domitiani tempora perstringenda se accingit.

Dic mihi Calliope, quidnam Pater ille Deorum
Cogitat? an terras & Patria sæcula mutat?]

Id est, quotiens calamitatem hujus sæculi intueor, de negligentiâ & ignavia Deorum mihi in mentem venit. Dic mihi, O Musa, abjecit ne Iupiter custos ille & præstes publicus curam omnem Imperii Romani? an ruinam nostram accelerat, nec calamitatem videt, cum qua sub Domitiano colluctamur? Habebant autem in more gentiles, ut ingruentibus rebus adversis, Deos tanquam securos & negligentes rerum humanarum accusarent. Quod argumentum quia frequens est in paganis scriptoribus non abs re erit paullo diligentius inspicere. Gentilium igitur sapien-

pientiſſimi, cum perſuaſiſſent ſibi, numen aliquod eſſe, quod ſupra nos res humanas curaret, ab eo nihil niſi bonum bonis evenire oportere exiſtimabant. Ita enim rationem inibant. Bonorum mortalium, quique ad virtutem præter cæteros erectâ mente eniterentur, majorem divinum numen curam habere, quam aliorum, qui belluarum more particulam cæleſtis in ſe flammæ voluptatum omni genere conſpurcarent, & ad opes atque dignitates, per fas & nefas, nullo reſpectu æqui aut iniqui graſſarentur. Cum autem porro non raro uſu venire experirentur, ut florerent pravi iſti & vecordes mortalium, illi autem, qui virtutum ſtudio arderent, miris modis in vita affligerentur, & ab illis ipſis vecordibus ſummis iniuriis divexarentur, homines nullâ certâ perſuaſione de divina natura imbuti, facile reſilierunt, & ipſum relligionis ſuæ fundamentum, providentiam videlicet, ex experientia confutare anniſi ſunt. Inde proceſſit tritiſſimum in multis gentilium ſcriptis argumentum. Si bonitas divina providentia quadam res humanas gubernaret, utique bonos flore-

florere, & usibus omnium rerum affluere oportere. Istos autem miris modis malorum tempestatibus sursum atque deorsum per omnes agi & ferri miserias: necessariam proinde esse conclusionem; Providentiam Deorum æquis oculis mortalia non inspicere, aut non gubernare. Vnde Claudianus lib. 1. in Rufinum.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.

Sic Attius in persona afflictissimæ Antigonæ inquit,

Iam jam neque Dii regunt,
Nec profecto Deûm summus Rex omnia curat.

Elegans etiam Varronis Epigramma in hanc rem circumfertur.

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo, credimus esse Deos?

Et graviter inprimis Lucanus lib. 7.

sunt nobis nulla profecto
Numina, cum cæco rapiantur singula casu.
Mentimur regnare Iovem. Spectabit ab alto
Æthe-

Æthere Thessalicas, teneat cum fulmina, clades.

Sic Minutius Felix in Octavio Ethnicum quendam inter cætera ita differentem inducit. *Quod si mundus, inquit, divina providentia, & alicujus numinis auctoritate regeretur, nunquam mererentur Dionysius & Phalaris regnum, nunquam Rutilius & Camillus exsilium, nunquam Socrates venenum.* Sic pleni sunt gentilium libri accusationis Deorum in rebus adversis. ut eleganter differit C. Barthius ad Claudianũ. Vnde Phædrus in fabulis *Vt videantur, aliquid sapere, cælum vituperant.* Et divine inprimis Seneca epist. quadragesima & nona. *Multos*, inquit, *inveni æquos adversus homines, adversus Deos neminem. Objurgamus quotidie fatum. Quare ille in medio cursu raptus est: quare ille non rapitur? Vtrum, obsecro te, æquius judicas te naturæ, an tibi parere naturam.* Huc pertinet proverbium. *Ne Iuppiter quidem omnibus potest placere.* Sulpitiæ certe hoc loco non placuit, quæ velut de providentia ejus desperans, plena animi & furoris Calliopen suam rogat.

Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum,
Cogitat? an terras & patria sæcula mutat?

Quid-

Quidnam pater ille Deorum, Cogitat] Pater ille Deorum eſt Iupiter. Sed roget aliquis, Cur Iuppiter pater Deorum appellatur, cum Saturnus & alii adhuc ante ipſum Dii fuerint? Cauſſæ duæ ſunt. Primo quia Iuppiter, exacto patre ſuo Saturno, primus majeſtatem numinibus induxit, & numerum Deorum auxit atque ampliavit: ſecundo, quia omnia & cæleſtia & terreſtria regere atque moderari credebatur. Adeo ut pater hic non deſignet auctorem aut parentem, ſed præſidem, patronum, & principem Deorum. Ergo ait Sulpitia, *Quidnam pater ille Deorum, Cogitat?* Id eſt, quid agit, quid molitur Iuppiter? an moderamina ſalutis publicæ intermiſit? Eſtque expoſtulatio, qualis illa apud Virgilium,

Scilicet hic ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat.

An terras & patria ſæcula mutat?] Terras mutare hic idem eſt, quod *cælum & terram miſcere*. Quæ loquendi formula à Gigantibus, aut Titanibus deſumpta eſt, qui bellum Diis & cælo, ut fabulantur, indixere. Sed quid hoc ſibi vult, cum Sulpitia inquit, *an patria ſæcula*

mu-

mutat? Quæ ſunt illa *patria ſæcula*? Certe ſæculum aureum, quod ſub Saturno Iovis patre fuit, intelligi hic non poteſt. Dudum enim ætas illa effluxerat, & orbis in ferro laborabat. Patria igitur ſæcula hic ſunt, quæ parentum memoria fuerunt, quæ ſub Domitiani parentibus & prædeceſſoribus fuere. Cum Flavius moderamina ſalutis Romanæ teneret, cum præeſſet Titus Veſpaſianus, amor ille & delitium generis humani. Intelligit igitur Sulpitia illud ex omni parte beatum Flavii patris & Titi Veſpaſiani filii ſæculum, cujus felicitas, & ſecuritas adhuc animo obſervabatur, cum res Romana ſub Domitiano graviſſimè affligeretur.

Quaſque dedit quondam morientibus eripit artes] Nihil dici poſſet elegantius. Morientes, id eſt mortales. Sic latrantes pro canibus, volantes pro avibus, aliaque ejuſmodi Latini ſcriptores uſurpant. Significantius autem eſt, *morientes*, quam *mortales*. Mortalis enim poteſtatem, moriens autem ipſum, ut ita dicam, actum moriendi notat. Et profecto morientes ſumus. Morimur ubi vivere nos putamus. Singulis momen-

momentis quantum ad vitam accedit, tantum decedit. In horas ſingulas morimur, non vivimus. Nam dum vivere te dicis, id quod dicis, jam vixiſti. Videtis quam abſtruſæ venuſtates in uno illo verbo *morientes* concludantur. Profecto fruſtra in bonorum auctorum lectione ſumus, niſi ad iſta attendamus. Ergo

Quaſque dedit quondam morientibus eripit artes.

Omnia enim artium principia, ad Deorum benignitatem priſci referebant, quippe earum inventores pro numinibus venerantes. Sed cur artes inventæ Iovi hic adſcribuntur? Quia omnia bona olim ad Iovem referebantur. Vnde *bonorum dator* totiens ab Homero appellatur. Iuppiter enim per alios Deos, velut ſubditos ſuos, omnia efficere credebatur.

Noſque jubet tacitos, & jam rationis egenos]

Id eſt, inopes bonæ mentis, ſive conſilii, nec jam compotes ſanæ rationis, tamquam pecudes, quæ ad grave onus, quod tergo ſuo imponitur, obmuteſcunt. Hoc enim vult, cum inquit, *Noſque jubet tacitos.*

Non aliter primo quam quum ſurreximus ævo,
Glandibus, & puræ rurſus procumbere lymfæ]

Sententia Sulpitiæ eſt. Vult Domitianus ut ad hoc edictum de exigendis Philoſophis, & bonarum artium Profeſſoribus obmuteſcamus tanquam pecudes, tanquam ratione deſtituti, & ad barbariem priorum temporum revertamur. Quod idem eſt, ac ſi juberet, ut relicto frumenti & vini uſu, ad glandes & aquæ pocula reverteremur.

Non aliter primo quam quum ſurreximus ævo,
Glandibus & puræ rurſus procumbere lymfa.]

Surgere hic ſignificat, naſci, oriri, prodire. Porro hominum primogenitos glandibus & aqua uſos fuiſſe nemo neſcit. Virgilius,

Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Subjicit Sulpitia;

An reliquas terras conſervat amicus & Urbes?
Sed genus Auſonium, Romulique exturbat alumnos.]

Id

Id eſt, an Iuppiter Romanos indignos cura ſua & providentia habet, pro aliis autem & Barbaris terris ſollicitus eſt? Eſt huic par querela apud Tacitum lib. 1. Annalium, ubi inquit; *Non unquam atrocioribus populi Romani cladibus, magiſve iuſtis judiciis approbatum, eſt, non eſſe Diis curæ ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem.*

An reliquas terras conſervat amicus & urbes] Elegantiſſime dixit Sulpitia, *conſervat*, alludit enim ad cognomentum Iovis Servatoris, qui Græcis Σωτὴρ appellatur. Iupiter etiã Conſervator dictus eſt, ut patet ex inſcriptionibus antiquorum nummorum. Vt in Diocletiani quidem uno, in cujus priore facie ipſius facies, in poſteriore vero Iovis imago ſtat, cum his litteris, IOVI CONSERVATORI.

Sed genus Auſonium, Remulique exturbat alumnos]

Genus Auſonium, id eſt, Latinos. Nam Latii pars eſt Auſonia. Remuli autem alumni ſunt Romani. Sic turba Remi pro Romanis poſuit Iuvenalis. Sic Regna Remi pro Vrbe Romana uſurpat Propertius, cum inquit,

Regnave prima Remi, aut muros Carthaginis alta.

Quanquam enim Romulus augurio victor Vrbi nomen & imperium dederit, Remus tamen in condenda urbe fratrem suum adjutavit. Adeo ut Remus etiam pro parente & conditore Romani Imperii possit haberi. Vt igitur à Romulo Roma & Romani, ita à Remo Remi turba, Remi alumni appellantur. Sequitur apud Sulpitiam.

Quid reputemus enim? Duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, Virtus belli, & sapientia pacis.

Paullo latius hic vagatur Sulpitia, & postquam de sublatis bonis artibus nonnulla dixit, porro ad corruptum laceræ Reipub. statum deplorandum se accingit.

Quid reputemus enim?] Id est, Non possum mihi aliter persuadere, quam Iovem infestum nobis esse, & turbare atque negligere res humanas. Pacis & belli artes olim Romam in hoc amplissimum terrarum orbis fastigium extulere, quæ artes jam jacent & non excoluntur.

Duo

Duo sunt quibus extulit ingens Roma caput] Sic Virgilius Ecloga prima :

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna Cypressi.

& 8. Æneid.

Hic mihi magna domus celsis caput urbibus exit.

Belli virtus, & sapientia pacis] Sic Florus opera Romanorum vel belli vel pacis esse dixit. Bello autem floruit Roma, cum hostes suos subegit; pace, cum subactos servavit. Bello acquisivit, quod non habuit, pace servavit, quod accepit. Bellum ibi gessit, ubi pacem non habebat. Nisi *pax* potius hic referenda sit, ad quietem & tranquillitatem, quæ inter ipsos cives & patres Romæ fuit, adeo ut bellum foras gereretur, pax autem domi sanctè coleretur. Ad has pacis & belli artes alludit Rutilius Numantianus in Itinerario.

Mitigat armatas victrix clementia vires:
Convenit in mores nomen utramque tuos.
Hinc tibi certandi bona parcendique voluntas
Quos timuit, superat; quos superavit, amat.

Nempe bello ſuperandi ſunt, qui timentur, pace amandi, qui ſunt ſuperati. Recte autem dixit Sulpitia, ſapientia pacis, quia longe major virtus eſt in pace continere quod habes, quam armis debellare, quod nondum tuum eſt. Hic enim corporis præcipue, ibi animi vires requiruntur. Pergit Sulpitia.

Sed virtus agitata domi & ſocialibus armis
In freta Sicaniæ, & Carthaginis exiit arces,
Cæteraque Imperia, & totum ſimul abſtulit orbem.]

Deſcribit hic Sulpitia opera, quæ priſci Romani bello geſſerunt.

Sed virtus agitata domi & ſocialibus armis] Virtus agitata, id eſt per varios bellorum caſus jactata & exercitata eſt, domi quidem cum vicinis gentibus, ut Ethruſcis, Faliſcis, & Fidenatibus. Socialia autem arma hic ſunt, quæ populus Romanus pro ſociis & fœderatis ſuis geſſit. Erant autem illæ artes Romanorum, ut ſub ſpecie alios juvandi, ipſi imperium ſuum propagarent.

In freta Sicaniæ & Carthaginis exiit arces] Freta Sicaniæ, id eſt, Sicilia. Intelligit autem hic

hic Sulpitia bella Punica, quæ populus Romanus per totos centum & quindecim annos cum Pænis, varia & dubia ſubinde Fortuna geſſit. Tria autem præcipue bella Punica memorantur. Primum bellum Punicum geſtum eſt Appio Claudio Conſule, cum ut Pænus, ita Romanus Siciliam affectaret. Tunc primum navali bello in freto Siculo Romanus cum Pæno certavit. Regulus Carthaginem tunc obſedit, ſed fortunæ adverſitate in manus hoſtium venit fortiſſimus Imperator. Populus autem Romanus multo acrior & infeſtior pro ultione Reguli, Metello conſule, ſpirantibus altius Pænis, & reverſo in Siciliam bello, apud Panormum ſic hoſtes cæcidit, ut poſtea Siciliam amplius concitare non auderent. Hic exitus primi belli Punici fuit. Quadriennio poſt ſecundum exarſit, quod decem & octo annos duravit, cladium atrocitate adeo terribile, ut inquit Florus, ut ſi quis conferat damna utriuſque populi, ſimilior victo ſit populus, qui vicit. Annibal enim ante portas erat, adeo ut de Italia mediam Africam faceret. Quæ ſecundi belli Punici tempeſtas, Sempronio Con-

 ſule,

ſule, fuſo à Scipione Pœnorum exercitu, ſedata eſt. Secutum deinde bellum Punicum tertium, tempore quidem exiguum (nam quadriennio patratum eſt) ſed plane maximum eventu. quippe eo tandem Carthago, illa Romani imperii æmula, cum ſtetiſſet annis ſexcentis ſexaginta & ſeptem, Cn. Cornelio Lentulo, & L. Mummio Conſulibus, manu & virtute Scipionis Africani deleta eſt. Et horum bellorum hiſtoria eſt, quam hic tangit Sulpitia.

Deinde velut ſtadio victor qui ſolus Achæo
Languet, & immota ſecum virtute fatiſcit:
Sic itidem Romana manus, contendere poſtquam
Deſtitit, & pacem longis frænavit habenis
Ipſa domi leges & Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terra quæſita, marique
Præmia conſilio & molli ratione regebat.

Oſtendit hic Sulpitia, quomodo deſierint bella Romana, & velut languere cœperit Virtus Romana, non aliter atque illi, qui in ſtadiis currunt, defatigantur.

Dein-

Deinde velut ſtadio victor qui ſolus Achæo
Languet, & immota ſecum virtute fatiſcit.

Stadio victor qui ſolus Achæo] Intelligit ſtadia, in quibus ſe Græci exercebant. Erant autem quatuor. Namque in honorem Iovis ab Hercule inſtituta ſunt Olympica, in Olympio luco, oleaſtris conſito, ad templum Iovis Olympici. Alterum Pythicum erat certamen ob interfectum Pythonem Serpentem. Vbi victoribus Corona erat laurea. Tertium Iſthmicum in honorem Melicertæ ſive Palemonis, in Iſthmo loco anguſto Corinthi. Atque Scriptores hic multum varii ſunt, in honoremne Herculis, an Neptuni, an Palæmonis. Quartus Nemicus ludus ordinatus eſt propter puerum Lycurgi, in Nemica ſylva defunctum. In his ludis, curſu lucta, ſaltu, pugnis certabatur. Achæa autem ſtadia hic à Sulpitia appellantur, quia Hercules in Græcia, Piſis apud Iovem Olympium primum ſtadium inſtituit, quod longum erat pedes ſexcentos.

Stadio victor qui ſolus Achæo]. Solus victor appellatur, qui ſolus vicit & ab aliis devictus non eſt. Adeo ut ſimilitudo hæc plane qua-

dret cum populo Romano, qui omnium victor, à nullis omnino gentibus debellatus est.

Immota secum virtute fatiscit.] Elegantissime dictum. Immota virtus est, quia non expugnata, & tamen fatiscens, quia aliorum omnium virtutem expugnavit.

Sic itidem Romana manus contendere postquam Destitit] Romana manus, vis potentia & virtus Romanorum. Romanos autem post sublata & patrata bella Punica, in studiis armorum languere cœpisse, non Sulpitia tantum hic dicit, sed & facundissimus scriptorum Velleius Paterculus sub initium lib. 2. historiarum, *Remoto*, inquit, *Carthaginis metu sublataque Imperii æmula, non gradu, sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in summum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis ad otium conversa est civitas.*

Longis pacem frænavit habenis] Id est in summa pace & securitate orbem moderatus est populus Romanus. Similitudo autem est desumpta ab equis, quorum furor & impetus fræno cohibetur. Ita etiam Romani devictas barba-

ras gentes pacis artibus in officio continebant. Sed quid hoc ſibi vult, quod Sulpitia dicit, *longis habenis?* Longæ habenæ nihil aliud hic denotant, quam Imperium populi Romani longe lateque per omnes terrarum partes propagatum.

Ipſa domi leges & Graia inventa retractans] Id eſt jus civile, omneſque bonas artes domi populus Romanus excoluit. Graia autem inventa appellantur, quia, ut teſtatur M. Varro, diſciplinæ omnes, intra mille annorum ſpatium in Græcia inventæ & perfectæ ſunt.

Omnia bellorum terra quæſita marique
Præmia conſilio, & molli ratione regebat]

Præmia bellorum id eſt, victorias terra marique partas.

Molli ratione regebat] Nempe qui longum imperium vult, languida regnet manu. Crudelia & iniqua imperia devictis vires ex deſperatione addunt, quas non habent. Mollia autem imperia faciunt, ut ſubeſſe ſe illis devicti lætentur, in quorum manus venire primitus metuebant. Qui ergo debellatos hoſtes in officio continere vult, id præcipue operam dare debet,

debet, ut illi intelligant, non melius ſibi futurum ſi ſui juris eſſent. Progeditur

Stabat in his, neque enim poterat conſtare ſive iſtis] Hoc eſt, his pacis & belli artibus vis Romana totius orbis victrix ſtetit.

Aut fruſtra uxori, mendaxque Dieſpiter olim,
Imperium ſine fine dedi dixiſſe probatur.]

Hoc vult Sulpitia, Neceſſe erat ut ad tantam magnitudinem imperium Romanum perveniret, ne falſum eſſet Iovis reſponſum, qui Æneæ poſteris imperium ſine fine promiſerat.

Imperium ſine fine dedi dixiſſe probatur] Verba hæc Iovis apud Virgilium lib. 1. ubi de initiis & incrementis Romani Imperii agens, inquit,

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi. Quin aſpera Juno
Quæ mare nunc terraſque metu cælumque fatigat

Con-

Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Fallax autem Iuppiter aut mendax non fuit, quia ad eam magnitudinem evectum est Romanum Imperium, ut mole sua cœperit laborare.

Hactenus Sulpitia priorum Reipub. Romanæ temporum felicitatem & virtutem commendavit. Nunc infelicitatem & desidiam atque ignaviam temporum Domitiani perstringit.

Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluvie albus,
Et studia & sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras, atque Vrbe excedere jussit.

Paucis his versiculis Sulpitia edictum Domitiani de exigendis Vrbe Philosophis comprehendit. Quam historiam latius in Domitiani vita complexus est Suetonius, & nos plura in hanc rem nuperrime ad Plinii Panegyricum disseruimus, quæ nunc recoquenda non putamus.

Nunc igitur qui res Romanas imperat inter] Mira

ra Latinitatis ratio, dum Sulpitia inter res Romanas imperare, pro rebus Romanis imperare usurpat. Sed tamen *inter* illud non est sine quadam Satyrica venustate. Innuit enim imperium Domitiani non nisi interregnum esse, brevi collapsurum.

Non trabe sed tergo prolapsus] Locus obscurus. Hoc autem significare velle videtur Sulpitia, Domitianum assiduis compotationibus & commessationibus ita pinguem & obesum factum, ut oneri pinguedinis, quæ tergo inhærebat, velut succumberet, & non per trabes, sed per tergum in terram prolaberetur. Obesum autem admodum Domitianum fuisse testantur auctores. Facit huc, quod narrat Athenæus, quosdam pinguedine ita gravari, atque fatigari, ut interdum succumbere cogantur. Quosdam ita leves & velut juncios esse, ut ventum reformident atque declinent, ne violentia ejus humo affligantur. Et Philetam nobilem Poetam, ita gracili corpore fuisse & levi testatur idem Athenæus, uti necesse habuerit pilas plumbeas pedibus subjicere ac calceis suppingere, ne à vento subverteretur.

Ergo

Ergo quod in his levitas corporis, hoc in Domitiano obeſitas fecit, eumque humi non per trabes, ſed per ſaginati tergi onus proſtravit.

Et ingluvie albus] Ingluvie, id eſt, crapula, intemperantia, immodico cibi & potus uſu. Albus autem ingluvie fuit Domitianus, ſive quod nitidam & bene curatam cutem haberet, ut loquitur Horatius, ſive quod ex crapula & ingluvie palleret. Quamvis hoc Poetice magis à Sulpitia dictum, quam vere. Domitianus enim rubicunda facie fuit, ut diſertim teſtatur Tacitus in vita Iulii Agricolæ. Præcipua, inquit, ſub Domitiano miſeriarum pars erat, videre & aſpici, cum ſuſpiria noſtra ſubſcriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſævus ille vultus & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat.

Sapiens hominum nomenque genuſque] Sapiens hominum genus, id eſt, Philoſophi, qui à ſapientia nomen habent. Quam enim antiquitus ſapientiam, hanc hodie Philoſophiam dicunt, auctore Pythagora, qui ſapientis nomen tanquam ſuperbum minis aſpernatus, ſapientiæ

amatorem atque ſectatorem dici & haberi ſ
voluit

Pergit Sulpitia.

Quid facimus? Graios hominumque reliquimus urbes,

Ut Romana foret magis his instructa magiſtris.

Hoc vult, Bonæ omnes artes in Græcia natæ atque educatæ, Romam aliquando conceſſerunt, ut illam æternitatis Vrbem ſplendore ſuo ornarent, atque illuſtrarent.

Quid facimus?] Formula eſt animi egregie turbati. Loquitur autem Sulpitia ſub perſona Philoſophorum quibus urbe interdicebatur. Quid facimus? Quantopere inſanivimus, cum è Græcia Romam conceſſimus, ut Roma paullo poſt expelleremur? Præſtitiſſet in Græcia manſiſſe, nec hæc ſtudia litterarum ad tam ingratam, & infeſtam virtutibus urbem tranſtuliſſe. Non incidiſſet in caput noſtrum hæc calamitas, cum qua jam miſere colluctamur.

Graios hominumque reliquimus urbes] Nihil in tota hac Satyra magis Satyricum, quaſi vero non alia natio, quam Græca in hominum numero reponi digna eſſet, ſolique tantum Achivi

chivi humanitatis laude possent censeri; Romani autem econtra bruti essent, & sub hominum forma belluinum animum occultarent. Ad Domitianum autem præcipuè alluditur, qui se crapula ingurgitavit, tanquam bellua, & bonarum artium studia contempsit, tanquam ratione destitutus.

Vt Romana foret magis his instructa magistris] Romana, nempe Vrbs. Magistri autem hic Philosophi appellantur. Vox magistri aliquando absolute scribitur, & sine additione, ac communiter artium præceptorem vel pædagogum significat. Aliquando cum additione notat præfectum rei alicujus. Sic Magister curiæ, Magister equitum, Magister aulæ, Magister scripturæ, Magister pecoris, præfectum præfecturamque designat.

Subjicit Sulpitia.

Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
Ensibus, & trutina Galli fugere relicta,
Sic nostri palare Senes dicuntur, & ipsi
Vt ferale suos onus exstirpare libellos.

Comparationem hic instituit Sulpitia, Philosophorum cum Gallis Senonibus, qui

relicto, quod obſederant, capitolio, virtute Camilli aufugere.

Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
Enſibus & trutina Galli fugere relicta.]

Hiſtoria, quam hic tangit Sulpitius, ejuſmodi eſt. Galli Senones, relictis ob ſterilitatem agris ſuis, Cluſium Etruriæ opidum obſidebant. Miſſi autem Roma ſunt tres legati, qui Gallos moverent, ut ab oppugnatione deſiſterent. Ex his legatis unus contra jus gentium in aciem proceſſit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditionem legatis, nec impetratis, Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Alliam fluvium cæciderunt, die decimo & ſexto Kalend. Auguſti, qui dies inter nefaſtos relatus, Allienſis dictus eſt. Victores Galli Vrbem intraverunt, ubi præcipuos Patrum in curulibus & honorum inſignibus ſedentes, primo ut Deos venerati, deinde ut homines deſpicati, crudeliter interfecere. Reliqua juventus cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obſeſſa à Gallis Camilli virtute liberata eſt, Gallis partim cæſis, partim fugatis. Hæc hiſtoria eſt, quam hoc loco Satyro-

gra-

grapha nostra tangit. Videtur autem lapsa esse memoria Sulpitia, cum *Camillum Capitolinum* dixit. Nam solus M. Manlius, ob defensum tunc temporis Capitolium, & quia auctor fuerat Iuventuti Romanæ secedendi in Capitolium, primus, & solus, & ultimus suæ gentis Capitolinus appellatus est. Nam postea regni affectati accusatus de saxo Tarpeio præcipitatus est, &, ut ait Victor, ultimus gentis suæ Capitolini habuit cognomentum. Ergo Manlius dicendus erat Capitolinus, non autem Camillus, in quo errasse Sulpitia nostra videtur.

Ensibus & trutina Galli fugere relicta.

Alludit hic Satyrographa nostra ad Camillum qui Gallos in auro, quod ceperant, pendendo occupatos de improviso adortus Roma fugavit. Quare autem dixit *ensibus relictis?* Tangit facinus Brenni, Gallorum ducis, qui longa Capitolii obsidione fatigatus, reditum suum mille pondo auri redemit. Querenti autem Appio Claudio de iniqua ponderum exactione, adjecto ad pondera gladio, superbe & insolenter respondit; VÆ VICTIS.

Sic nostri palare senes dicuntur, & ipsi

Vt ferale suos onus exstirpare libellos.

Senes, id est, Philosophi propter ætatem, sive honorem ita dicti. Vnde adhuc *Senior* Vox Hispanis est usitata.

Vt ferale suos onus exstirpare libellos] Quare libri hic ferale onus appellantur? Quia auctoribus suis & neces, & exsilia, & odia, creabant. Respicit autem Sulpitia ad historiam Aruleni Rustici, & Herennii Senecionis, quorum illi, cum Pætus Trasea, huic Priscus Helvidius publice laudatiessent, capitale fuit, neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur: ut præclare inprimis disserit Tacitus in præfatione ad vitam Iulii Agricolæ.

Progreditur Sulpitia.

Ergo Numantinus Lybicusque erravit in isto
Scipio, qui Rudio crevit formante magistro
Cætera & illa manus bello facunda secundo

Hoc vult Sulpitia, si inepta sunt studia bonarum artium, ut illa tamquam inepta edicto suo proscribit Domitianus, profecto longe aberrarunt

runt tot illustres in veteri Republica animæ quæ bello Punico secundo floruerunt & præcipue sive Numantinus sive Africanus Scipiones, qui quantum à Repub. otii erat, studiis litterarum indulgebant.

Ergo Numantinus, Libycusque erravit in isto
Scipio qui Rudio crevit formante magistro.

Intelligit Scipionem Africanum qui, ut testatur Vellejus Paterculus, tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum haberet. Nemo melius intervalla negotiorum otio dispunxit, semper aut pacis, aut belli serviit artibus, semper inter arma, ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercebat. Per *Rudium* autem *Magistrum* hic Ennius intelligitur, quem, ut canit Silius Italicus, Rudiæ genuere vetustæ. Rudia autem civitas est Calabriæ. Huc elegantissime alibi alludit Ovidius; *Ennius ingenio magnus, at arte rudis.* Eusebius tamen in Chronico Ennium Tarentinum facit. Scripsit Ennius hic aliquam multa, nempe

annales, & historiam belli Punici secundi. Obiit Ennius septuagenario major, anno Vrbis conditæ sexcentesimo octogesimo & quinto. Q. Marcio Philippo, & Cn. Servilio Cæpione Coss. Ac magnus sane honos ei habitus est à superiore Africano, & fratre Asiatico, utpote qui in sepulcro suæ gentis, collocari voluerunt, & præterea Poetæ effigiem è marmore sepulcro imposuere. Vnde Livius lib. 38. Romæ, inquit, extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt, quarum duæ Scipionum dicuntur, tertia Poetæ Q. Ennii. Unde Ovidius lib. 3. de arte

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Non mirum autem videri debet tantum honorem Ennio à Scipione habitum, ut pote cujus pueritiam & juventutem studiis litterarum formaverit, ut hoc loco Sulpitia testatur.

Cætera & illa manus bello fæcunda secundo

Hoc est, & cæteri, qui bello Punico secundo inclaruerunt. Eleganter autem dixit fæcunda, quia seculum illud tanquam fæcunda parens, plures doctrinæ & ingenii fætus emisit.

ſit. Bello inquam Punico ſecundo efflorеſcere primum ac ſeſe extollere cœperunt Romana ingenia, juxta illud veteris Poetæ.

Punico bello ſecundo Muſa pennato gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem.

Non alienum erit ab hoc loco, & Sulpitiæ verbis, ſi quæſtionem inter eruditos diu multùmque agitatam hic diſcutiamus, nempe quando maximè ſtudia Romæ floruerint. Sciendum igitur tres ſtudiorum, ut ita dicam ætates, Romæ fuiſſe. Prima fuit inter bellum Punicum ſecundum & tertium. Nam ante illud tempus ſtudia litterarum, ne in uſu quidem, nedum in honore ullo erant; rudi ſc. ac bellicoſa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus diſciplinis vacante. Imo Philoſophiam, aliaſque artes prohibitas fuiſſe conſtat ex veteri ſenatuſconſulto, quod Caio Fannio Strabone, & Marco Valerio Meſſala conſulibus latum, & à Suetonio libris de claris Rhetoribus inſertum eſt. Erat igitur prima illa ætas, rudis valde, & non exculta. Vt nihil & cœptum ſimul eſt, & perfectum. Secuta deinde ſecunda ætas, ſub Auguſto, cum bonarum

litterarum studia, & Romana ingenia ad summum florem & robur pervenerunt. Tertia ætas post Trajanum sub Hadriano fuit, cum magis magisque genuinus ille splendor decrescere cœpit, & Asiaticum tumorem, velut rubiginem quandam accepit. Prima ætas in cultu defecit, secunda medium, quod optimum est, tenuit, tertia cultu nimio genuinum litterarum nitorem corrupit. Adeo ut prima ætas in defectu laboraverit, tertia autem in excessu. Adeo ut ævum Augustæum, sive ætas secunda optima sit & unicuique sequenda. Ex prima & tertia ætate nihil præter res haurire aut habere possumus. Verborum enim & Orationis cultus non accessit. De prima illa ætate, quæ in secundum bellum Punicum incidit, hoc loco agit Sulpitia, quæ sic pergit.

Quos inter Prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset. Vtrumne secundis
An magis adversis staret Romana propago.
Scilicet adversis?

Quos inter Prisci sententia dia Catonis] Quos inter, id est, inter eruditos Romanos, etiam Cato est,

eſt, qui egregie dixit, rerum ſcientiam maximi faciendam eſſe. Priſci autem hic non Epithetum eſt, ſed cognomentum. Sic Horatius lib. 2. oda 21.

Narratur & Priſci Catonis
Sæpe mero maduiſſe virtus.

Fuit & alius Cato, cui Cenſorii nomen fuit. Ab hoc Priſco Catone, ſunt illa Catonis diſticha, quæ hodie adhuc exſtant, & leguntur. Non quod Cato hic eorum auctor ſit, ſed quod compoſita ſint & collecta ad normam diarum illarum ſententiarum, quæ à Catone profectæ, vulgò à Romanis uſurpabantur. Quemadmodum aurea Pythagoræ carmina, quæ adhuc ſuper ſunt, non ab ipſo Pythagora, ſed ex ſententia & ſcriptis Pythagoræ compoſita ſunt. Idem judicium de verſibus, quos Orpheus & Empedocles compoſuiſſe dicuntur, faciendum eſt.

Pergit Sulpitia,

Utrumne ſecundis
An magis adverſis ſtaret Romana propago?

Cum hactenus Sulpitia Romana ingenia commendaverit, quæ inter medios ar-

morum ſtrepitus illucere, in pace autem languere cœperint, jam rogat præſtetne cum rebus adverſis Romanos colluctari, quam rebus ſecundis languere; præſtetne bellum Romanis, an pax, negotium an otium? Reſpondet Sulpitia. *Scilicet adverſis*] Id eſt melius erit Romæ in adverſis, in bello, in armis, in negotio. Tunc enim ſplendor ille ingeniorum, longæ pacis & inertiæ rubigine veluti obſitus denuo illuceſcet. Et profecto nihil hac ſententia verius. Unde & Scipio, ad reprimendam nequitiam, ſervandoſque optimos illos & antiquos mores, ut metu vitia cohiberentur, Carthaginem everti nolebat; ut Carthaginem velut aream Pop. Romanus haberet, in qua virtutem ſuam & induſtriam exerceret. Nempe negotium virtutem accendit, otium vero corrumpit. Negotio accreſcit quod habes, otio amittis, quod habuiſti.

Pergit Sulpitia.

Nam quum defendier armis
Suadet amor patriæ, & captiva penatibus uxor,
Convenit ut veſpis, quarum domus arce monetæ

Turba

Turba rigens strictis per lutea corpora telis.
Ast ubi pax secura redit, oblita favorum
Plebs, materque una somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa & gravis exitium
Pax.

Versus obscuri, & mirum in modum corrupti. Mens autem esse videtur, Romulidarum exitium longam pacem esse, quia rebus foras pacatis, domi civile bellum movent. Vt vespis inter se convenit hoste adverso coactis domum arci Monetariæ impositam defendere, sic Romanis. Vespas ait vigere strictis per corpora telis, sc. cum hostis in armis excubare jubet. Cum autem hostis abest inertia & inedia consumuntur. Hæc sententia loci esse mihi quidem videtur, quamvis ingenue profitear, locum adeo corruptum esse, ut de sententia ejus nihil nisi per conjecturam assequi possimus. Quare pergamus cum Sulpitia & concludamus.

Hoc fabella modo pausam facit. Optima posthac
Musa velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas

Vive-

Vivere, uti quondam Lydus dum Smyrna peribat,

Nunc itidem migrare velim, vel denique quidvis

Ut Dea quære aliud. Tantum Romana Caleno

Mœnia, jucundos pariterque averte Sabinos

Hôc fabella modo pausam facit] Pausam facit, id est, desinit. Pausa enim quies est & interstitium Unde & in inscriptionibus sepulchralibus non semel legitur, *Hic aut ille hic pausat*, pro quo in aliis est, *hic aut ille hic situs est & quiescit.*

Vel denique quidquis, Ut Dea quære aliud] Id est, tu Musa, cum Dea sis, omniaque cognoscas, & facere id omne possis, quod vis, medere huic calamitati, & ostende quo pacto ab illa possimus liberari.

Tantum Romana Caleno

Mœnia, jucundos pariterque averte Sabinos] Versiculum hunc ut recte intelligamus sciendum est Calenum Sulpitiæ maritum fuisse, & eodem tempore Sabinum quendam Romæ fuisse, cujus consortio & familiaritate admodum Calenus delectabatur, eoque nomine

mine Romæ adhuc commorari volebat. Hoc unum igitur hic deprecatur Sulpitia, ut Musa Romana mœnia & Sabinos Caleno averteret, id est, ut Caleno incuteret fastidium Sabini & urbis, quam relinquere Sulpitia destinabat. Pergit Sulpitia, & responsionem Musæ suæ sive Calliopes conclusionis loco ponit.

Hæc ego. Tum paucis Dea me dignatur & infit:
Pone metus æquos, Cultrix mea. Summa Tyranno
Hæc instant odia, & nostro periturus honore est.
Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale, manet hunc pulchrum sua fama dolorem:
Musarum spondet chorus, & Romanus Apollo.

Pone metus æquos] Elegantissime dictum. Metus Sulpitiæ æqui erant, & ex ratione proficiscebantur. Metuenda enim erat tyrannis & potentia Domitiani. Ait ergo Calliope. Tu ò mea Sulpitia, quæ me tantopere colis & veneraris, metum illum; quamvis æquum & ju-

& justum sepone. Ego medebor huic miseriæ & calamitati.

Summa tyranno, Hæc instant odia] id est, ab omnibus odio habebitur Domitianus. Sed quid hoc est, quod inquit Calliope, Domitianum periturum Musarum honore? Nihil aliud est, quam edictum Domitiani nauci esse faciendum. Musas quamvis ringente invidia & Domitiano, evasuras. Imo Musas, cum summa ignominia Domitiani, cum summo honore suo, scelera ejus & flagitia posteritati transmissuras.

Nam Laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.

Id est, quidquid moliatur Domitianus, eadem adhuc sum, eadem mihi adhuc potestas manet. Rideo ejus inania, vana, & nullius virtutis incepta. Erat autem nemus prope Romam, in quo Numa sacras populo Romano leges præscripturus, cum Egeria Nympha, ad excitandam de se divinitatis opinionem, concumbere se dicebat. In hac Sylva se

esse

esse fingit Calliope, & ridere ad minas Domitiani.

Manet hunc pulchrum sua fama dolorem] Id est, carmen hoc, quo dolorem tuum, conceptum ex iniquitate Domitiani, probasti, famæ & æternitatis albo est inscriptum, & te eo nomine posteritas venerabitur, & hoc tam divinum ingenium tuum commendabit.

Musarum spondet Chorus, & Romanus Apollo] Romanus Apollo hic appellatur, propter Ædem Apollinis Palatini, & Bibliothecam ibi ab Augusto consecratam.

PRÆLECTIONVM

FINIS.

IOHANNES IONSTONVS IN THAVMATOLOGIA.

QVicquid autem sit, ita tamen abjectus non est hic sexus, ut non aliquæ supra sortem inveniantur. In obsidione Braunsuicensi militis officium prestitit quædam; idem in Cæsaris castris olim altera. Camer. Hor. subcis. cap. 76. Cent. 3. *Eudoxia uxor Theodosii Iunioris scripsit Poemata, & extat ejusdem Homerocento de Servatore. Idem ex Virgilianis versibus* Proba Falconia *præstitit.* Iohanna Graia *Ebræam, Græcam, & Latinam linguas calluit;* Olympia Fulvia Morata *Græce ac Latine versus scivit pangere; & cum ad Orthodoxam defecisset religionem, totam se Theologicis mancipavit studiis. Quid vero dicam de* Elisabetha Anglorum Regina? *Hæc certe virtutibus suis universo admirationem incussit orbi; Pontificem quoque Sixtum in tantam rapuit, ut eam solam cum Henrico IV. Galliarum Rege in consilio de universi orbis Christiani summa recte adhiberi posse, diceret.*

I A-

IANI DOVSAE
Nordovicis
SCHEDIASMA
AD
SVLPITIÆ SATYRAM.

G

IANI DOVSAE Nordovicis SCHEDIASMA AD SVLPITIÆ SATYRAM.

SVLPITIÆ Poetriæ Romanæ SATYRAM, quæ de EDICTO DOMITIANI inſcribitur, ad finem noviſſimæ PETRONIANÆ Editionis adpenſam, percurſitare obiter ſtat ſententia: facto (quod bonum ſiet) ab ipſis uſque carceribus auſpicio. Sic igitur illa condigna Caleno conjunx:

Verſ. 1. *Muſa quibus numeris Heroas & arma frequentas*] *Frequentas*, pro *concelebras*, proinde ut Carus loquitur, hoc eſt celebres concinnas, reddiſque honoratos ac inſignes.

V. 18. *Fabellam permitte mihi detexere paucis*]

cis] Eleganter ſane, pro *pertexere*, & ad exodium uſque perducere, eſtque metaphora à tela, ad rei patrandæ conſilium. Trinnius Fullonib.

Quæ inter decem annos nequiſti unam togam detexere.

Adde à Comico noſtro.

Neque exordiri primum, unde accipias, habes;

Neque ad detexundam telam certos terminos.

Pergamus cum Sulpitia:

v. 10. *Teque quibus princeps, & facundiſſima calles, Aggredior*] Quid hoc ſibi velle dicam, neſcio. nihil enim ineptius, indigniuſve adeo laudabili ac pererudita Sulpitiæ gentis Heroide: cujus exiſtimationis rationem ſi pro perſonæ matronalis dignitate habere voluerimus, totam pœnè prioris hemiſtichii partem, retexamus neceſſe erit. Sed enim hoc abſque auctoribus libris infirmum, neque adeo tutum ſatis: quos quidem ego ſuffragatores ſi haberem mihi, lubenter Hercule repoſuerim.

Teque tuosque, praees queis facundissima, Colles Aggredior.

Vel etiam, *Calles.* Habes protenus.

v. 12. *Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum Cogitat? an terras, & patria secula mutat?*] Mirum, ni ad aureum illud atque ex omni parte beatum Flavii patris, ac Titi Vespasiani filii sæculum respexerit Poetria nostra, cujus adeo memoria, imo sublati ex oculis desiderium potius recens etjam tum mortalium animis obuersabatur, ac tantum non inpressum residebat: & quidem eo firmius ac propius medullis, quo major Reipublicæ mutatio facta, Domitiani successoris insolentia maximè, terribilis cunctis & invisi. Merito: quippe quem non solum magnæ, sed & callidæ inopinatæque sævitiæ Jmperatorem fuisse, perhibet Suetonius. *Patria* ergo *sæcula* haud alia utique, quam Saturnia illa omnium Poetarum præconiis celebrata.

v. 15. *Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos*] Rescribo, *& jam rationis egenos*; hoc est, inopes BONÆ MENTIS, sive consilii, nec jam rationis amplius, vel judicii ullius

ſanioris conpotes, veluti muta (hoc enim τὸ *tacitos* vult ſibi) pecora ſub jugum miſſa, vel (cum Flacco ut dicam)

Inique mentis aſellos auriculas demittentes
Quum gravius dorſo ſubiere onus.

Eadem illa, quam memoravi modo, tyrannica Domitiani dominatione oppreſſos, ac modo non redactos ad extremiſſimam rerum omnium penuriam ac deſperationem. An hoc potius quærit Sulpitia, quod ſequentia confirmant oppido, utrumne Iovi decretum ſit, conſentientibus fatis, artium, doctrinarum, ac diſciplinarum omnium univerſo mortalium generi oblivionem inducere aliquando: vitæque iſtius melioris præmia cultumque; Atticæ, inquam, Philoſophiæ, *Bonæque mentis* ac humanitatis ſtudia, divinitus antea dilargita nobis, in perpetuum porro dediſcere jubere, ad primi illius ac rudis ævi infantiam & plus quam brutam ſtupiditatem revocatos? Videlicet, ut omnis agriculturæ expertes, Cereri ac Libero renunciantes ad glandes rurſum ac Acheloia pocula poſt tot ſæculorum ſæcula neſcio quo poſtliminii jure verſoriam denuo

nuo capiamus? an magis necessitatem istam fatalem nobis, hoc est, uni Italicæ genti solisque Romulo nepotibus interminatur Iupiter, quos summis opibus atque industriis, reliquarum etiam nationum, imo hostium salute maxime, exterminatos perditosque expetit, Capitolio ipsius suo iratus infestusque VLTORIS *scilicet ne dicam* PRÆDATORIS cognomine assumpto sibi; CVSTODIS ac CONSERVATORIS deposito, ubi tamen legendum forte:

v. 19. *Remulique exturbat alumnos*] Non uti in exemplari nostro visitur *Romulique*, repugnante numerorum ratione. Romulum enim & Remum identidem à Poetis confundi videmus, alterumque pro altero promiscuè nominari: interdum utrosque pariter conjungi simul, ut æquum est fratres, & quidem germanos geminos. Sicuti apud Catullum;

At vobis mala multa Dii Deæque

Dent, opprobria Romuli Remique.

Propertius autem, *Regna Remi* pro urbe Roma, posuit cum ait:

Regnave prima Remi, aut muros Carthaginis altæ.

Habes non longe ab hoc loco:

v. 22. *Sed virtus agitata domi, & ſocialibus armis*] Bene addit *Socialibus*, ad externorum bellorum & Aſiaticorum diſcrimen, quæ quidem non pro vera gloria aut Reipubl. ſalute, ſed pro prædâ ſcelerumque ac flagitiorum omnium impunitate ſuſcepta videri poterant, jam inde à Sullanis temporibus maximè quam teterrima luxuriæ omnis ac nequitiæ fomenta victoribus ſubminiſtrarunt. Quod vero ibidem ſubjungit protenus *Virtutem* eam ſeu fortitudinem Populi Romani, quam domi, ac ſocialium bellorum procellis acriter multumque ac diu exercitam memoraverat modo, *in freta demum Sicaniæ & Carthaginis arces exiiſſe*, hoc eſt, deſiiſſe, modumque in hoſtem pugnandi, & quaſi pauſam feciſſe ſibi, innuit à Romanis poſt Siciliam, *longumque* ac *magnum* illud Mediterraneum pelagus in Imperii unius dominationem redactum, Carthaginemque everſam, Punicæque æmulationis omnes reliquiarum reliquias extinctas: omni Galliâ de-

nique

nique cis Rhenum atque inter mare ſupradi-ctum atque Oceanum, niſi quæ à paludibus inuia fuit, perdomita; ſic quaſi effæta parente (id quod in Catilina conqueritur Criſpus) nihil præclarum poſtea aut memorabile quod eſſet, belli militiæque patratum. Quippe quibus hoſtis nullus exercitor ſupereſſet jam amplius, in quo oppugnando vera & antiqua illa Romana virtus eniteſcere poſſet, ideoque depoſita armorum curâ ad literarum ſtudia, paciſque artes, ac Sapientiæ præcepta in tempore devolutos animum tandem requieti adjeciſſe: atque ita optime conſtitutam Rempublicam in otio ac tranquillitate ſuſtentaſſe facillimè.

Antequam ulterius progrediamur, telamque, quam conatu majore quam ſucceſſu, pro ingenii noſtri captu ſatis tamen commodulè exorſi ſumus, ad terminos porro deducere properemus. Suſtinendum prius hic etiam paulliſper nobis: donec Sulpitianorum verſuum ordinem, qui in codicibus noſtris quantũ eſt formularis, nuſquam non tranſpoſitus ac perturbatus legitur, in priſtinam aliquando reduxe-

rimus dignitatem. qui quidem nobis ad hoc exemplum reconcinnandus videtur.

Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras & patria sæcula mutat?
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos,
Non aliter; primo quam quum surreximus ævo,
Glandibus, & puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus, & urbes,
Sed genus Ausonium, Romulique exturbat alumnos?
Quid repetemus enim? duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, & Socialibus armis
(Cætera quæ imperia, & totum simul abstulit orbem)
In freta Sicaniæ, & Carthaginis exiit arces,
Deinde velut stadio victor qui solus Achæo

Lan-

Languet, & immota secum virtute fatiscit:
Sic itidem Romana manus contendere post-
quam
Destitit, & pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges, & Graia juventa retractans
Omnia bellorum terra quæsita marique
Præmia consilio, & molli ratione regebat,
Stabat in his &c.

In quibus ordinandis Petronianæ editionis œconomiam secuti sumus, usque ad illius hexametri finem: *Sed virtus agitata domi & Socialibus armis.* Post quem ordine duorum inter se versuum commutato: *Cætera quæ* (ita enim potius, quam, *cæteraque*, restituendum censuimus.)

v. 24. *Imperia & totum simul abstulit orbem In freta Sicaniæ*, &c.] Protinus sequi fecimus comparationem illam circensem de equo senescente: *Deinde, velut stadio*, &c. Versu, qui in medio erat, indidem in locum commodiorem, hoc est, in sedem suam pristinam, unde nullo suo merito per vim exturbatus fuerat, postliminium restituto, non sine necessaria correctione, qua in postremis illis usi pro:

v. 25.

v. 25. *Omnia consilia molli ratione regebat, Præmia consilio,* &c.] Emendare institimus, Scaligeri fiducia maxime, in cujus Catalectis ordinem à nobis supra repræsentatum post similitudinem illam: *Deinde, velut stadio,* &c. in novissima hac superiorum carminum parte manifesto ac palam deprehendimus, non item in priore, ubi tergemini hexametri illi, (*quid reputemus enim?* &c. usque ad hemistichii istius exitum: *Et socialibus armis*) parenthesi inclusi leguntur, medii inter versus, quos ponam:

Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos
Non aliter, &c. Ille vero:

v. 23. *In freta Sicaniæ & Carthaginis exiit arces*] Non post *armorum socialium* mentionem & *virtutem* illam Romanam (*cætera quæ imperia & totum simul abstulit orbem*, sed post *exturbatos illos alumnos Remuli*, loco Hercule alienissimo collocatus: inibique *Exigit* pro *Exiit* nullo existente idoneo sensu incogitanter suppositum. Nec minor in editione Ausoniana turbatio, quæ, *exilit* habet, & versus gemellos illos proxime memoratos, ante tres istos, quos in Catalectis parenthesi interclusos diximus,

Quid

Quid reputemus enim? &c. perperam dispositos repræsentat, quum post eopse istos conlocari debeant. Idem etiam de versu illo dictum cupio:

v. 25. *Omnia bellorum terra quæsita, marique*] Qui præter omnem verborum ac sententiarum ordinem non bene præmissus legitur hexametro isti:

v. 30. *Ipsa domi leges, & Graia inventa retractans*, &c.] Qui, si modo recte rationem instituere velimus, eundem antecedere debuerat. Ad ulteriora porro gradum capessamus.

v. 35. *Nunc igitur, qui res Romanas imperat inter*] Mira Latinitatis ratio, & non nostri stomachi, ægre hanc ipsam concoquentis. quamobrem fuit tempus, quum res istas Romanas ita interpolandas putarem:

Nunc igitur, qui Rex Romanos imperat inter,

Vt invidiose Domitiani plusquam Regium dominatum sugillet Poetria nostra: tum phrasim illam, *Imperat inter Romanos*, sic dictam interpretemur, quomodo Propertii istud:

Ut Regnem mistas inter conviva puellas.

Nisi si quis, *temperat*, rescribi maluerit, quod

quod etiam ſine ulla præpoſitionis virtute, *Romanis* ipſis accuſandi caſu poſitis temperandis ſat eſſe poſſit. Sed vero, *inter* iſtud, tantum non cerebrum excutit nobis, & mirum, ni ratione Poetica retro cum τῷ *Rex*, conſtruendum, ut ne id quidem Domitiano dignum habeat Sulpitia, quem vel legitimum Regem appellet, innuens puto, Principatum ejus brevi dilapſurum, id quod etiam Calliopen ſuam vaticinantem inducit poſtea, neque multo ſecus, quam ſi cum Interregia poteſtate ſummæ rerum præfuiſſet modo, Imperio exciſurum.

v. 39. *Quid facimus? Graios hominumque reliquimus orbes*] Salſum ac Satyricum, quaſi vero non alia natio quam Græca in hominum luſtro reponi digna, ſolique Achivi modo humanitatis laude cenſeri poſſint.

v. 41. *Nunc Capitolino veluti turbante Camillo,*

Enſibus, & trutina Galli fugere relicta, &c.] Camillus enim Gallos in captivo auro pendendo deditos atque occupatos de improviſo adortus Roma pepulit. Proin, *turbante*, hoc loco abſolute poſitum obſervabis: Sic Cælius

ad

ad M. Tullium: *M. Servilius, postquam, ut cœperat, in rebus omnibus turbarat.* Sed clarius aliquanto Plautus noster Bacchid. *Turbat equus lepide ligneus.* & passim alibi. Etiam, *Ensibus*, scripsi, spreta earum Editionum scriptura, quæ *lancibus* habent: ut respiciat ad illud scilicet, quod Roma capta ab iisdem Senonibus illis, quos dixi, Brennus eorum Rex, dum aurum ex pacto adpenditur, de iniqua ponderum exactione querenti Ap. Claudio, adjecto ad pondera gladio responderit, VÆ VICTIS. Vide Festum.

v. 47. *Cæteraque illa manus bello fecunda* (al. *facunda*) *secundo.*] Bellum Punicum secundum intelligit, qua tempestate efflorescere maxime ac sese extollere cœperunt Romana ingenia, juxta veteris illam Poetæ sententiam.

Punico bello secundo Musa pennato gradu
Intulit se bellicosam Romuli in gentem feram.

Habes porro:

v. 38. *Quos inter Prisci sententia dia Catonis*] *Prisci* hic non epithetum est, sed cognomentum, quo à Romanis insignitus Cato. Auctor Plutarchus. eo dico, ne quis hoc ipsum ad

Gen-

Censorii illius ætatem falso pertinere persuadeat sibi, neque aliter Horat. locus accipiendus lib. 3. oda 21.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero maduisse virtus.

Vbi *Prisci Catonis virtutem* pro Catone ipso summa virtute prædito positam, operæ pretium est observare. Proinde & capitali litera utrobique scribendum. Sed & postremum hexametri hujus hemistichium quis ab Horatio esse non videt, ita lib. 1. Sat. 11. scriptitante.

-------Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.

ad imitationem Lucilliani illius maxime:

Valeri sententia dia.

Pergit Sulpitia:

v. 49. *Vtrumne secundis.*
An magis adversis staret Romana propago.

Scilicet adversis.] Hoc est, facile scias adversis potius, quam secundis consistere Majestatem Imperii Romani. est enim *scilicet*, scire licet. Quomodo & *videlicet* apud Plautum, pro videre licet. Neque quicquam hacce sen-

ten-

tentia verius. Vnde & Naſica ille ad reprimendam nequitiam, ſervandoſque optimos illos, hoc eſt, antiquos mores (quibus *rem Romanam ſtare* potiſſimum Ennio quoque perſuaſum fuerat jam olim) cujuſmodi ſcilicet in Populo Romano inter ſecundum & poſtremum bellum Carthaginienſe maxime viguiſſe, non quidem amore juſtitiæ, ſed formidine infidæ pacis, cognitum nobis ex fragmentis Salluſtianis: Naſica ille, inquam, cordatus, quamvis Catone adverſante, ut metu vitia cohiberentur, Carthaginem nolebat everti. quod ut, cum iis quæ ſequuntur, rectius etiam intelligatur nonnulla argumento huic conſentanea ex Catonis ipſius Cenſoria pro Rhodienſibus oratione, apud Agellium lecta, huc oblata belliſſima occaſione tranſcribam. Sunt vero hæc ex V. Originum ejuſdem libro à politiſſimo illo Atticarum Noctium auctore nobis quaſi per manus tradita: *Scio ſolere pleriſque hominibus rebus ſecundis atque prolixis atque proſperis animum excellentem atque ſuperbiam, atque ferocitatem augeſcere atque creſcere* (ubi item notabis duarum linearum ſpatio conjunctionem *at-*

que iteratam plus minus quinquies) *quod nunc mihi magnæ curæ est, quod hæc res tam secundè processerit, ne quid consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confricet, neve hac lætitia nimis luxuriose eveniat. Adversæ res se domant, & docent quid facto opus sit. Secundæ res lætitia transvorsum trudere solent à recte consulendo atque intelligendo.* Et deinde postea: *Atque haud scio, an partim eorum fuerint, qui non nostræ contumeliæ causa id voluerant evenire; sed enim metuere, si nemo esset homo, quem vereremur, quicquid liberet, faceremus.* Ad Sulpitiam tandem reveniamus:

vers. 51. *Nam quum defendier armis*
Suadet amor patriæ, & captiva Penatibus uxor,

Convenit ut vespis.] *Convenit* pendere à *Penatibus* videtur, ut dicat Satyrica, *Penatibus*, hoc est cultoribus Penatium & domorum urbis statim, ubi quid adversi coortum est, convenire inter se concorditer, unoque animo in hostem pergere, quamvis inimicissimis antea. Cæteroqui quonam, *convenit* istud, alio referri possit non video.

v.55. *Ast*

Verſ. 55. *Aſt ubi apes ſecura redit oblita favorum,*

Plebs fraterque una ſomno moriuntur obeſo.] Quid eſt *frater*? neſcio equidem, neque ego iſtud verbum emiſſem titivilitio. Itaque non dubito, quin *Plebs*, *Patreſque* ſcripſerit Sulpitia, apum ſitu marceſcentium Rempublicam Concilia, duceſque ac vulgus, Senatui Populoque Romano (quos quidem *Plebis*, ac *Patrum* nomine comprehendit) jam murcido prorſus, incultuque proinde ac ſocordia torpeſcenti, aptiſſima utique ſimilitudine componens ac circumſcribens.

v. 58. *Hæc fabella modo pauſam facit.*] Malim potius: *Hoc fabella modo*, &c.

v. 62. *Tantum Romana Calenos*

Mœnia, jucundos pariterque adverte Sabinos.] Emendandum *Caleno*; Item *Averte*, non *adverte*. Vnum enim hoc deprecatur Sulpitia, non conjugi ſuo, (à quo tenerrime amari ſeſe, certiſſimis experimentis cognitum ac proviſum habebat) in tanta Reipublicæ perturbatione, Muſis ſcilicet, cum omni diſciplinarum cætu, importuniſſima Tyrannici Edicti

pro ſcriptione procul emigrantibus, cariſſimo Caleno, inquam, Romæ porro lubeat permanere, cœli Sabini deſiderium, atque Urbanum illud togatæ comitatis otium uxoriis complexibus præferenti. Subjicit eadem haud multo poſt ex perſona Calliopes reſpondentis ſibi.

v. 67. *Nam Laureta Numæ, fonteſque habitamus eoſdem,*
Et comite Ægeriar idemus inania cœpta.]

Quo non inſcitè accommodare poteris illa Iuvenalis ex Satyr. III. de Vmbritio Roma itidem emigrante, quidem iiſdem penè temporibus, de quibus apud Muſam ſuam tanta cum indignatione queritur Heroina hæc noſtra:

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam;
Hic ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis; quorum cophinus, fenumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſilva Camœnis.
In vallem Ægeriæ deſcendimus, &c.

Con-

Concludit porro præſagitiones ſuas Calliope Sulpitiana ajens:

v. 69. *Vive vale. manet hunc pulchrum tua fama dolorem.*] At concinnior exſtitura ſententia videtur, ſi, *ſua*, potius reſcribatur. Addit poſtremo promiſſi ſui præſtationem.

v. 70. *Muſarum ſpondet Chorus, & Romanus Apollo.*] Propter Ædem Apollinis Palatini ſcilicet, ac Bibliothecam inibi ab Auguſto jam pridem conſecratam. qua de plura Commentariolum noſtrum Horatianum, qui volet, conſulito.

CASPARIS BARTHII IN

SVLPITIAM

ANIMADVERSIONES.

IN Satyræ Sulpitianæ hoc loco:

Teque quibus princeps & facundissima calles
Aggredior. precibus descende clientis & audi.

Callere in re aliqua veluti *pollere*, *excellere* aut talia, perperam nonnemo Latio exturbare nisus. Audi Nonium Marcellum. Eadem phrasi ultimo ævo usus Saxo Grammaticus Danicæ Historiæ elegantissimus scriptor. lib. 3. *sistro ac barbito omnique fidium modulatione callebat.* Ibidem: *Kosterum se vocari, omnique fabrilium rerum officio (emenda opificio) callere perhibuit.* lib. 5. *jussit etiam ut quicunque malarum artium studiis calluissent* (ita legendum) *præmia recepturi prodirent.* Eodem libro: *incantationum studiis incumbunt, venationibus callent.* Quo loco emaculandum *venenationibus*. Optime pro re & bono

bono ſcriptore. Qui hic per viam velut tribus maculis purgatus eſt. Eodem vero verbo ita uſus Conſtantini ævo Iuvencus libro 1. Hiſtoriæ Euangelicæ:

At ferus Herodes ſibimet ſuccedere credit,
Quem callens aſtris quæſiſſet Cura Magorum.

Quorum verſuum poſtremum agnoſcat Iuvenci, qui unde Vigilius habeat non meminit, Melior Goldaſtus notis ad Iſidorum de Prælatis pag. 140. In eadem Satyra eleganter Græcaque imitatione Sulpitia *morientes* pro mortalibus dixit. His verſibus.

Dic mihi, Calliope, quidnam Pater ille Deorum
Cogitat, an terras & patria ſecula mutat?
Quaſque dedit quondam morientibus eripit artes.

De univerſo enim genere humano loquitur Poetria: Sic *latrantes* pro canibus, *volantes* avibus, & alia ſcriptores ea forma uſurpant. *Patria ſecula* ſunt paterno hactenus à Iove ani-

mo & adfectu gubernata. In illo *Nosque jubet tacitos & jam rationis egenos.* perperam Ausonianæ editiones quotquot ego habeo *etiam* uno verbo legunt. Quæ eædem male. --*rursus procurrere lymfæ.* *Procumbere* enim vera lectio est, quam, ut & superiorem optime in textum recepit suum Petrus Pythæus. Mox.

---velut stadio victor qui solus Acheo
Languet & immotâ secum virtute fatiscit.
Sic itidem Romana manus contendere postquam
Destitit & pacem longis frænavit habenis, &c.

Macula etiam inest his versibus. Sermo enim talis. *Sic etiam Virtus Romana postquam à bellis cessavit Graiis sese artibus retractandis dedit.* Error una littera deleta & *manu* non *manus* reposito, omnis tolletur. Virtutis vocabulum ἀπὸ κοινοῦ repetendum est. In vulgata lectione *Romana manus* nullius pretii est. *Virtute fatiscit.*

Sic itidem Romana, manu contendere postquam.

Nihil verius hac lectione. In sequentibus elegantissimis versibus manifestæ adhuc trajectio-

ctiones verſuum ſunt, quales poſt Vineti editionem in præcedentibus nonnullæ emendatæ ſunt. Sub finem fere nemini explicata latet etiamnum mora.

Convenit ut Veſpis, quarum domus arce Monetæ,
Turba rigens ſtrictis per lutea corpora telis.

Claris verbis Romulidarum exitium longam Pacem dicit, qui Soliditate intemperantium in inſtrumenta felicitatis ſuæ bacchantur, rebus pacatis, & diſſident inter ſeſe. Vt veſpis inter ſe convenit hoſte adverſo coactis domum arci impoſitam defendere, ſic Romanis. Veſpas ait vigere ſtrictis per corpora telis, ſcilicet cum hoſtis in armis excubare jubet. Nihil clarius ordine hujus interpretationis accepto, cum perperam aſteriſcis iſta ſignarint etiam acutiſſimi homines. Emendatione vero alia non opus niſi ut *vigens* legas, expulſo inepto illo *rigens* quod meras tenebras facit. Sed non pigebit totum locum legentium oculis clarum lucidumque exſcribere & proponere.

Quos inter Prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis
An magis adversis staret Romana propago:
Scilicet adversis; nam cum defendier armis
Suadet Amor patriæ, & captiva penatibus uxor,
Convenit; ut vespis, quarum, (domus arce monetæ)
Turba vigens strictis per lutea corpora telis;
Ast ubi pax secura redit, oblita favorum
Plebsque paterque una somno moriuntur obeso.

Plebsque paterque, vera utique lectio est. Regem & populum in vesparum velut Republica agnoscens. Vinetus in Appendice ad Ausonium, Scaliger eadem & Catalectis *frater* ediderunt. Pythæus *mater*, quorum alterum sua emendatione non paullo celebriorem fecit nuper Iustus Riccius de Capitolio scribens. Vera lectio aut ista est aut nulla. Alia alibi in hoc Poematio à nobis notantur.

MAR-

M. ZVERII BOXHORNII
AD
ANONYMI SATYRAM
DE
LITE
ANIMADVERSIONES.

Videtur Principium huic Satyræ deesse, aut sane corruptum est.

Quam ineptum?

O Diræ lites, ô jurgia dira reorum!
O Furiis Ereboque satæ, mortalia semper
Continuo dire laniatu corda secantes.

Non respondent profecto ista, cum sequentium venustate. Quis ferre illud posset?

mortalia semper
Continuo diro laniatu corda secantes.

Aut *semper*, aut *continuo* hic sufficiebat.

Proin puto verſus iſtos omnes aut mutilos eſſe, aut turbatos, aut corruptos.

Quæ regum Comites] Per comites regum hic omnes omnino aulici denotantur. Vnde & comitatus Aulam imperatoriam fere notat in veterrimis Actis Sanctorum. Sulpitius Dial. 11. de S. Martino *Martinus multis gravibuſque laborantium cauſſis ad Comitatum ire compulſus procellā ipſam totius tempeſtatis incurrit.* Comitatus hic eſt aula Imperatoris, dum quidem certo loco fixa nō eſt, ſed vero nunc huc, nunc illuc, ut in bellicis expeditionibus fere fieri ſolet, tranſfertur. Belgæ diceremus, *den treyn van't Hof.*

Neſcio qua dulci Reges dulcedine captos] Plane ineptum. Malim *turpi dulcedine*, aut quid ſimile.

Tota reſignatis fundunt patrimonia fiſcis] Id eſt, vacuis à foro loculis diſcedere coguntur, omnibus opibus ſuis in cauſſidicos effuſis. Fiſci hic ſunt *ſacci groſſiores*, ut exponitur in Gloſſario Iſidori. Papias Vocabuliſta, ut ſe ipſe appellat; *Fiſcus ſaccus, unde Fiſcus ſaccus eſt publicus. Vnde fiſcena & Fiſcella. Hunc habent exactores, & in eo mittunt debitum publicum, quod regi redditur.*

N

Nunc vilis ad ostia Scribæ] *Scribæ*, inquit Festus, *nunc dicuntur librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis*. Eorum munus *Scribatus* appellatur. De quo plura Hermannus Hugo cap. 32. De Prima origine Scribendi. Papias. *Scriba librarius, qui pertinet ad libros & ad chartas publicas*, id est, qui curam gerit librorum & chartarum publicarum.

Observant quam longa dies] Elegantissime dictum. Longiores enim illis dies videri solent, qui desiderio alicujus rei tenentur. Dum enim quod desiderant avide exspectant, unumquodque momentum, quo desiderata non exhibentur, longius videtur.

Et nocte reducunt] id est, sera jam & provecta vespera. Crepusculum enim & vespertinum, & matutinum non semel *Nox* à Latinis Scriptoribus appellatur.

Hinc ubi clauduntur manibus subsellia ferreis] Necessario scribendum est *Hunc*, nempe Scribam. *Manibus ferreis*, id est, cancellis.

Aditumque precantur, & orant] Frivolum. Scripsissem. *& optant*.

Levis.

Levesque Astantum risus] Eleganter *leves risus* appellantur, quos non sono, sed levi labiorum dilatatione probamus.

Tu scilicet istâ

Nobilitate ferox, istisque parentibus ortus] Habet hoc singularem vim & venustatem: *ista nobilitate, istis parentibus.* Sic apud Senecam in Troade Adromacha.

Hos vultus meus
Habebat Hector, talis incessu fuit,
Habituque talis; sic tulit fortes manus,
Sic celsus humeris &c.

Cessisse tuis de vitibus ullam] Francus fuit hujus Satyræ auctor. Vnde vitium meminit, quæ quia frequentes in Gallia magnis sæpe litibus materiam præbebant. Salvianus Galliam circumfusam vitibus appellavit.

Solus ut herbam Pasceret] Id est, depasceret, devoraret. Cætera levioris momenti.

FINIS.

VALERII CATONIS DIRÆ.

SATYRA.

BAttare cygneas repetamus carmine voces;
Divisas iterum sedes, & rura canamus,
Rura, quibus Diras indiximus, impia vota.
Ante lupos rapient hædi, vituli ante leones,
Delphini fugient pisceis, aquilæ ante columbas,
Et conversa retro rerum discordia gliscet
Multa prius, fuerit quam non mea libera avena.
Montibus & silvis dicam tua facta, Lycurge,
Impia. Trinacriæ sterilescant gaudia nobis.
Nec fecunda senis nostri, felicia rura,
Semina parturiant segetes, non pascua colles,
Non arbusta novas fruges, non pampinus uvas,
Ipsæ non silvæ frondes, non flumina montes.
Rursus, & hoc iterum repetamus Battare carmen.
Effetas Cereris sulci condatis avenas:

Pal-

Pallida flavescant æstu sitientia prata:
Immatura cadant ramis pendentia mala:
Desint & silvis frondes, & fontibus humor:
Nec desit nostris devotum carmen avenis.
Hæc Venetis varie florentia serta decore,
Purpureo campos quæ pingit avena colore.
Hinc auræ dulces, hinc suavis spiritus agri
Mittant pestiferos æstus, & tetra venena.
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.
Sic precor: & nostris superent hæc carmina votis
Ludimus, & multum nostris cantata libellis
Optima silvarum, formosis densa viretis.
Tondemus virideis umbras: nec læta comanteis
Iactabis molleis ramos inflantibus auris,
Nec mihi sæpe meum resonabit Battare carmen.
Militis impia cum succedet dextera ferro,
Formosæque cadent umbræ, formosior illis
Ipsa cades. veteris domini felicia ligna
Nequidquam nostris toties devota libellis,
Ignibus æthereis flagrabunt. Iuppiter ipse,
Iuppiter hanc aluit: cinis hæc tibi fiat, oportet.
Thracis tum Boreæ spirent immania vires:
Eurus agat mistam fulva caligine nubem
Africus immineat nimbis minitantibus imbrem:

Cum

Cum tua cyaneo resplendens æthere silva
Noscet iter, ducens Erebo tua Lydia Ditis;
Vicinæ flammæ rapiant ex ordine viteis:
Pascantur segetes, diffusis ignibus aura
Transvolet arboribus, conjungat & arbor aristas.
Pertica, qua nostros metata est impia agellos,
Qua nostri fines olim: cinis omnia fiant.
Sic precor, & nostris superent hæc carmina votis.
Undæ, quæ vestris pulsatis litora lymphis;
Litora, quæ dulceis auras diffunditis agris;
Accipite has voces: migret Neptunus in arva
Fluctibus, & spissa campos perfundat arena.
Qua Volcanus agros pastor Iovis ignibus arcet
Barbara dicatur Libyce soror altera Syrtis.
Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
Nigro multa mari dicunt portenta natare,
Monstra repentinis terrentia sæpe figuris;
Cum subito emersere furenti corpora Ponto.
Hæc agat infesto Neptunus cæca tridenti,
Atrum convertens æstum maris undique ventis;
Et fuscum cinerem canis exhauriat undis.
Dicantur mea rura ferum mare. nauta caveto
Rura, quibus Diras indiximus, impia vota.
Si minus, heu, Neptune tuis infundimus aris,

Battare fluminibus tu nostros trade dolores.
Nam tibi sunt fontes, tibi flumina semper amica:
Nil est, quod perdam ulterius merita omnia, dixi.
Flectite currenteis lymphas vaga flumina retro,
Flectite, & adversis rursum diffundite campis.
Incurrant amnes passim remeantibus undis,
Nec nostris servire sinant erroribus agros:
Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
Emanent subito sicca tellure paludes,
Et metat hic juncos, spicas ubi legimus olim:
Occupet arguti grylli cava garrula rana.
Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen,
Præcipitent altis spumantes montibus imbres.
Et late teneant diffuso gurgite campos:
Queis dominis infesta minantes stagna relinquãt,
Unde relapsa meos agros pervenerit unda,
Piscetur nostris in finibus advena arator:
Advena civili qui semper crimine crevit.
O male devoti pratorum crimine agelli!
Tuque inimica tui semper discordia civis.
Exsul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funesti præmia belli.
Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam:
Hinc ibo in silvas: obstabunt jam mihi colles:

Ob-

Obstabunt montes, campos nec adire licebit.
Dulcia rura valete, & Lydia dulcior illis,
Et casti fontes, & felix nomen agelli.
Tardius, ach, miseræ descendite monte capellæ:
Mollia non iterum carpetis pabula nota.
Tuque resiste pater: en prima, nouissima nobis
Intueor campos: longum manet hostis in illis
Rura valete iterum, tuque optima Lydia salve:
Sive eris, & si non, mecum morieris. utrumque
Extremum carmen revocemus Battare avena.
Dulcia amara prius fient, & mollia dura:
Candida nigra oculi cernent, & dextera læva
Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quam tua de nostris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo.
Gaudia semper enim tua me meminisse juvabit.
Invideo vobis agri, formosaque prata:
Hoc formaso magis, mea quod formosa puella
Est vobis. tacite vestrum suspirat amorem.
Vos nunc illa videt; vobis mea Lydia ludit.
Vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis,
Et mea summissa mediatur carmina voce,
Cantat, & interea, mihi quæ cantabat in aurem.
Invideo vobis agri: discetis amare.

O fortunati nimium, multumque beati,
In quibus illa pedis nivei vistigia ponet:
Aut roseis digitis viridem decerpserit uvam,
(Dulci namque tumet nondum viticula Baccho)
Aut inter varios Veneris stipendia flores
Membra reclinarit, teneramque illiserit herbam,
Et secreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt silvæ, gaudebunt mellea prata,
Et gelidi fontes, aviumque silentia fient.
Tardabunt rivi labentes currere lymphæ,
Dum mea jucundas exponat cura querelas.
Invideo vobis agri: mea gaudia habetis,
Et vobis nunc est, mea quæ fuit ante, voluptas.
At mihi tabescunt morientia membra dolore,
Et calor infuso decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina est. non ulla puella
Ditior in terris fuit, aut formosior: ac, si
Fabula non vana est, tauro Jove digna, vel auro.
Juppiter avertas aureis: mea sola puella est.
Felix taure pater magni gregis, & decus: a te
Vaccula non unquam secreta cubilia captans,
Frustra te patitur silvis mugire dolore.
Et pater hædorum felix, semperque beate:
Sive petis monteis præruptos saxa pererrans:

Sive

Sive tibi silvis nova pabula fastidire;
Sive libet campis: tecum tua læta capella est.
Et mas quocunque est, illi sua femina juncta,
Interpellatos nunquam ploravit amores.
Cur non & nobis facilis natura fuisset?
Cur ego crudelem patior tam sæpe dolorem?
Sidera per viridem redeunt cum pallida mundum,
Inque vicem Phœbe excurrens, atque aureus orbis
Luna tua est tecum: cur non est & mea mecum?
Luna, dolor nosti quid sit, miserere dolentis.
Phœbe gerens in te laurus celebravit amorem,
Et quem pompa Deum, non silvis fama locuta est.
Omnia vos estis: secum sua gaudia gestat,
Aut inspersa videt mundo, quæ dicere longum est.
Aurea quin etiam cum secula volvebantur,
Conditio similis fuerat mortalibus illis.
Hæc quoque prætereo, notum Minoidos astrum
Queque virum virgo, sicut captiva secuta est.
Lædere Cælicolæ potuit vos nostra quid ætas?
Conditio nobis vitæ quo durior esset?
Ausus egon' primus castos violare pudores?
Sacratamque meæ vitam tentare puellæ?
Immatura meæ quoque noxæ solvere fata?
Istius atque utinam facti mea culpa magistra
Prima foret: lethum vita mihi dulcius esset.

Non mea, non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia cum Veneris furatus gaudia primus
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
Auctor ut occulti noster foret error amoris.
Iuppiter ante sui semper mendacia furti
Cum Iunone, prius conjux quam dictus uterque est,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem:
Et mecum tenera gavisa est ludere in herba,
Purpureos flores, quos insuper accumbebat,
Candida formoso supponens brachia collo.
Tum, credo, fuerat Mavors distentus in armis.
Nam certe Volcanus opus faciebat, & illi
Tristi, turpabatque mala fuligine barbam.
Non aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roseo celavit amictu?
Talia Cælicolæ nunquid minus aurea promo?
Ergo quod Deus, atque Heros, cur non minor ætas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit! sors ô mea læva
Nascendi, miserumque genus, & sera libido
Tanta meæ vitæ cordis fecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis.

FINIS.

MAR-

M. ZVERII BOXHORNII

IN

VALERII CATONIS

DIRAS

ANIMADVERSIONES,

ET

SVLPITIÆ

SATYRAM

EXERCITATIONES.

AD

Nobilissimum & Clarissimum Juvenem,

ERICVM ROSENCRANTZIVM.

Nobilissimo, & Clarissimo Iuveni, ERICO ROSENCRANTZIO, *Magnifici ac Perillustris Herois* D. OLIGERI ROSENCRANTZII, Dn. *Hæreditarii in* ROSENHOLM & SCABII, *Filio.*

M. ZVERIVS BOXHORNIVS S. P. D.

Singularis illa tua humanitas, Iuvenum Nobilissime, qua me complexus es, facit, ut hic te debeam affari. Sciat posteritas amicum me habuisse, cujus & eruditionem, & diligentiam, & morum elegantiam cum stupore sum admiratus. Testari possum. assiduus quippe virtutum tuarum spectator. Quanti vero me semper feceris non possum aut ignorare, aut diffiteri. Præsentia tua

totiens docentem me honestasti, ut absente te docuisse me non meminerim. Non quod discendum aliquid haberes, sed ut benivolentiam probares. Dicam ingenue; quamquam in aliorum frequentia, vultus tui conspectus, inter tot labores, & animum mihi auxit, & ardorem excitavit. Nobilissimos majores tuos, & præcipue magnum illum parentem tuum imitaris, quem, tanquam virtutis & eruditionis prodigium soleo venerari. Proinde accipe hoc grati in te animi mei redhostimentum; tenue quidem illud, sed ubi otium permiserit, in majus extollendum. Vale, Danicæ nobilitatis decus, cum Mulenio, viro diffusæ & humanitatis, & eruditionis. Raptim Lugd. Bat. CIↃIↃC XXXIII. *Kal. Maij.*

MAR-

M. ZVERII BOXHORNII

IN

V. CATONIS DIRAS

ANIMADVERSIONES.

POema hoc inter Virgiliana olim ferebatur; quod auctor ejus agellis ſuis injuria temporum exutum ſe teſtaretur. Parem autem Virgilium fortunam accepiſſe conſtabat. Lepidum Hercle argumentum. Primus omnium illuſtris Scaliger, Valerii Catonis eſſe probavit; quod Lydiæ paſſim mentio fia, quam Valerium in delitiis habuiſſe, & Poema ejus *Lydia* dictum, & Suetonius teſtantur. Inter principes Poetarum ſæculi ſui habitum fuiſſe, vel hi verſiculi teſtantur.

Cato Grammaticus, Latina Siren
Qui ſolus legit, ac facit Poetas.

Varia ſcripſit. *Indignationem*, in qua de temporum ſuorum iniquitate conqueritur. Vixit enim temporibus Syllæ; quibus miſerrime

me cum Romanis agebatur. Edidit præterea Poemata, ex quibus, *Lydia*, & *Diana* præcipue pobabantur, si Suetonium audimus. Dirarum nullam omnino facit mentionem. Diræ autem genus poematis est, quod ex animo, magnitudine calamitatis oppresso, & ex desperatione in furorem acto proficiscitur. Non continet nisi diras omnes, atque horrendas imprecationes. Clarissimum ejus exemplum est in Ibi Ovidiana. Jnter Diras autem & Jndignationem tantum interest, quantum inter irasci, & mala imprecari. Indignatio animum à re avertit, diræ animum in rem, sed cum furore, convertunt. Indignatio rem se indignam dicit; Diræ non tantum amore suo indignam, sed & suppliciis dignissimam. Adeo ut Indignationes non sint Diræ, sed omnes Diræ Indignationes complectantur. Quod miror non attendisse viros eruditos. Valerii Catonis Diræ in malis illis imprecandis consistunt, quæ agellis possunt nocere. qualia sunt, sterilitas, inundatio, incendium, vastitas & alia ejusmodi. Cum autem Diræ duum generum sint, aut cum aliis, aut cum nobis irascimur, utrumque

hic

hic abſolvit Cato. Prima pars conſiſtit in Diris adverſus agellos ſuos, quibus exturbatus erat, evomendis., ſecunda in deploranda calamitate ſua, quod Lydiam ſuam videre & amplecti non poſſet. Poema egregie corruptum eſt. Scaliger in Catalectis expurgare inſtituit, ita tamen ut ſub finem notarum incerta adhuc ſe omnia reliquiſſe candide teſtetur. Nos videamus, quid poſsimus.

Repetamus carmine voces] Non poſſum hic magno illi Scaligero aſſentiri, qui vult auctorem alludere ad Poema, cui titulum fecerat INDIGNATIO, quia inquit, *repetamus*. Simpliciter enim hoc accipiendum, ut *referre* aliaque infinita. Sic *redire* pro venire uſurpat Spartianus in Hadriano.

Diviſas iterum ſedes] Sedes diviſas appellari dicit idem Scaliger, vel quod veteranis Syllæ adſignati fuerint ejus agri, vel diviſas intelligit devotas. Dividere enim de maledictis uſurpabant veteres. Ego ſedes diviſas hic interpretor, à quibus Cato per injuriam & iniquitatem hoſtium vel creditorum erat excluſus, ad quas

ipſi

ipsi tutus aditus non patebat. Sic Virgilius de Britannis;

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Divisi Britanni sunt, quia per mare interjectum à reliquo terrarum orbe veluti remoti agebant. *Dividere* autem verbum peculiare est Geographorum, qui regiones vel *fluminibus*, vel *môntibus* dividi notant. Cato noster ab agellis suis per vim hostium aut creditorum veluti dividebatur. Sed quare inquit, *divisas iterum sedes?* Fuitne igitur bis agellis suis exturbatus Cato? Profecto. Primo à Syllanis, secundo à creditoribus, quibus animam debebat. Suetonius in ejus vita, *Vixit ad extremam senectam; sed in summa pauperie & pene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus,*

Sic quis forte mei domum Catonis,
Depictas minio assulas, & illos,
Custodis videt hortulos Priapi,
Miratur quibus ille disciplinis,
Tantam sit sapientiam assecutus,
Quem tres cauliculi & selibra farvis,

Race-

Racemi duo, tegula ſub una,
Ad ſummam prope nutriant ſenectam.

Et idem rurſus.

Catonis modo Galle Tuſculanum,
Tota Creditor Vrbe venditabat.
Mirati ſumus unicum magiſtrum,
Summum Grammaticum, optimum Poetam
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones,
Vnum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

Si ergo in extrema jam ætate, urgentibus creditoribus, agellis ſuis cedere coactus eſt, profecto totum hoc Poema non de iniquitate Syllanæ tempeſtatis, & ſævitiæ, ſed de creditorum importunâ exactione accipiendum eſt. Syllana autem tempora ſe non tangere, ſatis oſtendit Cato, cum inquit, *diviſas iterum ſedes*. Cujus rei ignorantia effecit, ut paſſim in excutiendo hoc opuſculo errarit Scaliger. Libet autem conjectari prius Poema, nempe *Indignationem*, in Syllanos directum fuiſſe, *Diras* autem has in furentes atque importunos creditores. Excutiant, & judicent eruditiores.

Et

Et conversa retro rerum discordia gliscet.
Multa prius fuerint, quam non mihi libera avena.

Levi mutatione pro *fuerit*, *fuerint* rescribo. Unde elegantissima loci sententia resultat. *Multa prius fuerint*, id est, omnia peribunt, atq; subvertentur, priusquam libertas scribendi, atque dicendi mihi adimetur. *Fuisse* est perisse. Vnde FVIT, de mortuis. Quemadmodum VIXIT, idem quod obiit. Ineptus autem est summus virorum Isaacus Casaubonus cum in Animadversionibus ad Historiæ Augustæ scriptores *vivere* mori interpretatur. *Vixisse* est mortuum esse, non *vivere*.

Montibus & sylvis dicam tua facta Lycurge] Hoc est, Lycurgi exemplum sequar. Quod fecit ipse, hoc dicam. Ille furore correptus arbores omnes cæcidit, ego animo turbatus, styli atque dirarum mearum acrimonia montes itidem & sylvas subvertam. Elegantissima, est, & acutissima sententia *Dicam* simpliciter, pro *maledicam*. Vnde *dicteria* pro maledictis, sed cum risu.

Nec fæcunda senis nostri, felicia rura, Semina partu-

parturiant segetes] Nihil hic vidit magnus Scaliger. Locus fœde corruptus est. Scribe, me & Catone, nisi fallor, auctore.

Nec fœcunda senis nostri, vel mitia ruri
Semina parturiant segetes.

Senis nostri interpretarer *senectutis nostræ.* Nisi quis malit cum Scaligero *Sinus nostri.* Cui lectioni non adeo velim repugnare. *Mitia semina* sunt matura, quæ extrudere jam segetes gestiunt. Mens autem est. Fæcunda non sint, aut mitia semina agelli nostri, & maturitatem non adipiscantur, nec segetes proferant.

Non flumina montes] Nihil ineptius hac lectione. Rescribe; *Non flumina fontes.* Id est, fontes non emittant limpida flumina, quæ agrum circumquaque humectent, atque fæcundent. Lectionem vulgatam qui tuetur, doceat prius, quomodo flumina *montes parere possint?* De Syrtibus nemo, opinor, interpretabitur. Nisi mens sit, *Montes flumina non emittant.* Ex montibus enim flumina plurima resultare nemo nescit.

Hæc Veneris vario florentia serta decore, Purpureo campos quæ pingit avena colore] Locus

 miri-

mirifice corruptus. Vt ſanam mentem habere non videatur. Ego, ſi quid conjectandum, ita libenter reſcriberem.

Nec Veneris vario florentia ſerta decore,
Purpureo campos nec pingat avena colore.

Puto ſic ſcripſiſſe Catonem. Omnes enim dlræ ſunt.

Ludimus, & multum noſtris cantata libellis] Apprime placet Emendatio magni Scaligeri. *Tu nemus.* Sententia enim flagitat. Sed qui ſunt illi libelli, in quibus de ſylvis egiſſe hic ſe dicit Cato? Puto innui Poema, quod inſcripſit, DIANA, ut ex Suetonio ſcimus. Cum enim Diana venationum præſes ſit, profecto illam celebravit Cato eo præcipue nomine, quod in ſylvis ſuis atque viretis favente Diana venationi ſubinde indulgeret.

Tondemus virideis umbras] Legebat Scaliger; *Non demum.* Forſan recte. Quid ſi? *Non fundes.*

Militis impia cum ſuccedet dextera ferro] Verba fæde accepta ſunt. Nos ita emendanda cenſemus.

Militis in quercum ſuccedet dextera ferro.

For-

Formosæque cadent umbræ; formosior Ilex
Ipsa cadet.]

Vulgo est *formosior illis*. Nimis inepte. Porro eleganter dicit, *Formosæque cadent umbræ*. Cadent umbræ, nempe cum arboribus, quarum umbræ sunt. Alias *cadere* de umbris usurpatur. Sic alibi dixit Maro, altas cadere de montibus umbras.

Iuppiter ipse, Iuppiter hanc aluit] Nihil certius nostra emendatione; *Iuppiter incaluit*, id est, Iuppiter fulmen parat. Vt verba hæc respondeant cum præcedentibus; *Ignibus æthereis flagrabunt*. Nec placet illud Scaligeri; *Iuppiter hanc alito*. Cur enim sylvam aleret, quam fulmini destinabat? Verba autem sequentia; *Cinis hæc tibi fiat oportet*, referenda sunt ad fluvium Battarum. *Tibi*, Battare. Sylva enim hæc prope Battarum posita fuisse videtur. Vnde paullo post, Sylvam Battari vocat,

Cum tua cyaneo resplendens æthere sylva
Noscet iter.

Spissa campos perfundat arena] Spissa arena est, quam Belgæ *Schuersant* vocamus.

Qua velcanus agros Pastor Jovis ignibus arcet,

Barbara dicatur Libyce soror altera Syrtis] Poema hoc corruptissimum quidem est. Fædum autem mendum cubat in hoc loco, si Scaligerum audimus, qui sic emendat.

Quo Volcanus agro pastus Iovis ignibus ardet

Et sic interpretatur; Quo agro Vulcanus Iovis ignibus, id est ignibus fulminis accensus agrum meum populatur, in eo, inquam, agro fulgurato existat Syrtis similis ei, quæ est in Libya. Sed, quod ignoscant mihi manes tanti viri, quem inter Principes harum litterarum veneror, locus neutiquam corruptus est. Proin nihil mutandum. Mens enim est. In agris illis, quos flamma nondum devoravit, à quibus Vulcanum Iovis ignibus, id est, fulminibus armatum, agrestes & pastores arcuerunt, in illis, inquam, agris, ejusmodi Syrtes per maris inundationem nascantur, quales in Libya sunt. Nihil planius. Nihil magis ex mente Catonis.

Dicantur mea rura ferum mare] Malim, *merum mare.*

Si minus heu Neptune tuis infundimus aris] Frustra hunc versum sollicitat ingeniosissimus

Scali-

Scaliger. Mens enim eſt. Si Neptunum ſatis faventem mihi non habeam, ſi ille nolit diras meas effectas dare, quia dignis ſatis & magnis ſacrificiis ipſum non colui, ſuccedant flumina, & immittant quam agellis noſtris inundationem imprecamur.

Piſcetur noſtris in finibus advena arator] In antiquis Editionibus eſt *Diſcetur*, ex quo Scaliger legebat, *Dicetur*. Ego malim legere.

Viſetur noſtris in finibus advena arator.

O male devoti pratorum crimine agelli] Nihil ineptius vulgata hac lectione. Scaliger acute, tranſpoſita una littera legebat, *Raptorum*. ut malæ fidei poſſeſſores, & alieni inſeſſores denotet. Verum cum in veterrimis Editionibus conſtanter *Prætorum* legatur, emendationem Scaligerianam amplecti non eſt neceſſe. Vult enim Cato, ſe agellos ſuos ideo Diris devovere, quod Prætoris culpa, qui eos creditoribus addixerat, eorum poſſeſſioni excidiſſet. Nihil verius.

Hinc ego de tumulo] Lege, *Tunc.*

Tanta meæ vitæ cordis fecere rapinam] Versiculus corruptissimus. Scaliger legebat,

Tanta meæ vitæ cum Diis fecere rapinam.

Sic Græci semper σὺν θεοῖς. Ennius, *Volentibus cum magnis Diis*. Sed hic in malam partem, ut Græci non raro. *Tanta* Græcismus est, τόσσα, hæc omnia. Est Επιφώνημα. *Cordis* pro *cum Diis*, ut apud Varronem Cordo pro condo. Ita quidem emendationem suam interpretatur Scaliger. Sed assensum meum hactenus non potuit impetrare. Videor mihi aliud monstrum in hoc versu videre. Cui alias, ubi liberalius otium permiserit, jugulum præcidam. Hæc raptim exaravimus, urgente ut plurimum Typographo. Vix enim horam, ad hæc polienda, gravioribus curis licebat suffurari.

MAR-

M. ZVERII BOXHORNII

EXERCITATIONUM

IN

SVLPITIAM

APPENDIX.

EXERCITATIO I. *de inscriptione Satyræ Sulpitianæ, & argumento.* Satyra hæc variè inscribitur. Quidam Satyræ elogio exornant, quidam vero non item. Vidi, qui *Eglogam* inscriberent. Non male. Ita Satyras plerasque Horatianas in antiquioribus libris Eglogarũ nomine preſcribi notat eruditissimus Crucquius. Et sane *Egloga* eadem, quæ Satyra. Habeo MS. Theoduli Cæsariensis Eglogam, de veritate Religionis Christianæ, & ineptiis gentilium. In cujus initio interpres ejus hæc verba de Eglogæ significatione collocavit. *Tres*, inquit, *eglogarum species legimus exstitisse. Primam tradit Virgilius, quum loquitur*

 de

de vaccis, capris & ovibus. Unde dicit; Dic mihi Dameta, cujum pecus, an Melibæi? *& alibi*, Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fætus. *Secunda species eglogarum est, quæ consistit in convitiis & reprehensionibus & invenitur in Epistolis Horatii, non quod ipse loquatur de capris & de ovibus, sed quia verba ejus reprehensiva fætida erant ad modum hirci & capræ* (inepte.) *Tertia egloga est præsenti volumine, quia actor istius operis utitur humili stylo.* Satyræ igitur etiam Eglogarum nomine venerunt. Porro egregie falluntur qui Satyram hanc, potissimum de Philosophis à Domitiano Urbe exactis scriptam opinantur. Profecto, si quid hic video, nihil minus. Tota Respublica, ut quidem sub Domitiano corruptissima fuit, hic perstringitur.

EXERCITATIO II. *de versu Clazomenio.* Versiculum hunc Sulpitiæ statim in initio;

nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.

alii aliter, atque aliter interpretantur. Elias Vinetus de versibus Hipponacteis interpretatur. Verba ejus in commentario ad Sulpitiam, in Ausoniana Editione, ista sunt. *Clazomenæ urbs*

urbs est Ioniæ in Asia, uti scripsimus in Epigramma Ausonii CXXIII. *Unde* κλαζομένειος, *hoc est* Clazomenius, *seu* Clazomenius dux *&* *auctor dicitur hoc loco Hipponax Poeta: qui quum esset Ephesius (ejusdem Provinciæ civitas Ephesus) propter Athenagoræ & Comæ tyrannidem, Clazomenas se contulit, & illic habitavit. De illo plura Lilius Gregorius ex Suida & aliis. Cæterum scribit Plinius lib. 36. Hipponacti notabilem fæditatemvultus fuisse: quamobrem imaginem ejus lascivia jocorum, quum pictores exposuissent ridentium circulis, indignatus Hipponax, amaritudine carminum distrinxit eos in tantum, ut aliquos ex iis ad laqueum compulisse creditus sit. Usus ergo in istos carmine jambico scazonte & claudo Hipponax: cujusmodi est illud,*

Nec fonte labra prolui Caballino,

Quod ab ipso Ιππονάκτειον, Hipponacteum, fuit cognominatum *Sed & locum hunc enodandum sibi duxit Hadrianus Iunius cap. 16. lib. 1. Animadversorum. Ubi de Scazonte Hipponactio itidem accepit his verbis adjectis. Illud adnotare pretium est operæ, quod* fractum versum *vocet Scazontem Hipponactium: siquidem, te-*

ſtimonio Halicarnaſſæi, conſtat Hipponactem infregiſſe trimetrum Archilochium in Scazontem, quo inimicos pungeret acerbius, σκάσεσι μέτροις ὀρθὰ τοξεύσας ἔπη, *ut ait Epigrammatarius.*

Nos de verſu Ionico interpretabamur. Forſan non inepte. Clazomeniæ enim Vrbs Ioniæ. Vide Prælectiones noſtras, ſive commentarium uberiorem.

EXERCITATIO III. *de Domitiano non trabe, ſed tergo prolapſo.* Verſiculi iſti,

Nunc igitur qui res Romanas imperat inter
Non Trabe, ſed tergo prolapſus, & ingluvie albus.

haud dubie fœde ſunt corrupti ab illis, qui eorum, ut primitus à Sulpitia conſtituti erant, mentem non percepere. Sententiam tamen aliquam commodam in Prælectionibus noſtris eruere conati ſumus. Quam veram alii judicent. Hoc ſcio; Viris magnis non diſplicuiſſe. Eruditiſſimus pariter, & acutiſſimus Scriverius noſter ingenioſe nuper legebat.

Nunc

Nunc igitur quæres num ranas imperet inter
Vel,
Nunc igitur quum se Romanos inferat inter
Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluvie alvi.

Ut alludat ad fabulam Phædri 2. lib. 2. quam ita expressit Fabulator MS. Bibliothecæ S. Victoris.

Dum nihil auderet ludentes lædere ranas,
** Supplicuisse Jovi, ne sine rege forent,*
Iuppiter huic risum voto dedit. ausa secundas
Rana preces, subitum sensit inane sonum.
Nam Iove *dante trabem, trabis ictu flumine moto*
Demersit subitus guttura rauca timor.
Placato rediere metu, videre tigillum:
Stando procul regem pertimuere suum.
Ut videre trabem per se non posse moveri,
Pro duce fecerunt tertia vota Iovi.
Ira Iovem movit, regem dedit, intulit Hydrum
Hydrus hiante gula cæpit obire lacum.
Clamitat ecce lacus: morimur pie Iuppiter, audi.
Iuppiter exaudi, Juppiter adfer opem:
Nos sepilit VENTER, *nostri sumus* ESCA TYRANNI.

Facit

Facit huc illud quod narrat Suetonius in Caligula: *Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut aliquoties prædicaret, Exitio suo omniumque Caium vivere: & se natricem (Serpentis id genus) populo Romano phaetontem orbi terrarum educare.*

Adeo ut alludat Sulpitia ad hanc fabulam, & Domitianum vel cum ranis vel cum Hydro componat. Excutiant accuratius eruditiores. Mihi quidem & ingeniosa, & erudita Scriverii conjectura videtur.

EXERCITATIO IV. *de similitudine à vespis desumpta.* Versiculi isti, quibus Sulpitia populi Romani socordiam cum vespis componit, longe sunt inquinatissimi. *Convenire ut vespis* Adrianus Turnebus lib. 4. Advers. cap. 11. proverbiale esse existimat. Suspicatur etiam, ut in templo Concordiæ fuit nidus ciconiarum, sic *in fano Monetæ fuisse examen vesparum.* Carmen subscribam:

Convenit ut vespis, quarum domus arce Monetæ
Turbat agens strictis per lutea corpora telis.

Quod autem illic essent, qui nummos percutie-

cutiebant, idcirco *Monetariorum* nomen habuere: & ubi nummi feriebantur, *moneta* dicebantur. Ausonius de Mediolano:

Templa, Palatinæque arces, opulensque Moneta.

Et Sidonius de Narbone:

Delubris, Capitoliis, Monetis.

Errat autem & memoria lapsus est vir ille magnus, cum Satyram hanc Probæ adscribit, non Sulpitiæ. Porro accuratissimus Scriverius totum hunc Sulpitiæ locum ex conjectura ita rescribendum opinabatur.

Convenit, ut vespæ: quæ tum glomerare monentur,
Cum stat apes fixis per lutea corpora telis.
Ast ubi pax secura redit, oblita laborum
Plebs patresque una somno moriuntur obeso.

Profecto, sive ex mente Sulpitiæ, sive non acutissima est conjectura. Certum enim quid adstruere in loco conclamato non valemus. Ego certe libenter ita rescribi velim, levi, aut pene nulla mutatione.

Convenit ut vespis, quarum domus arce monetæ
Furva. Rigent strictis per lutea corpora telis

Ast

Ast ubi apes secura redit, oblita favorum
Plebs, patresque una somno moriuntur obeso.

Pene ausim certare, ita scripsisse Sulpitiam. Mentem, si placet, videamus. Bello inter se conveniunt Romani, bene tunc & strenue eorum res aguntur. Quemadmodum vespæ, quæ in arce monetaria, furva, & fuligine obsita nidificantur, strenue sese ac vivide gerunt, quotiens illis cum apibus, quarum lutea corpora sunt, bellum gerendum est. Tunc vim suam, tunc tela, id est, aculeos exserunt. At vero cum apes secura redit, cum ab apibus vespæ non impugnantur, socordiæ atque ignaviæ sese dedunt. Pater, plebsque, id est rex sive princeps vesparum, cum examine suo, longo otio atque somnio pereunt atque moriuntur. Sic Romani tempore belli vim suam probant, & in commune consulunt, pacis autem tempore aut bello civili agitantur, aut mascula illa virtus inertia temporum exstinguitur. Hæc mihi quidem ejus loci sententia videtur. Meliora & certiora proponant, quibus major aut otij, aut eruditionis copia.

FINIS.



LVGDVNI BATAVORVM

Ex Officinâ

Wilhelmi Christiani.

---

cIɔ Iɔc xxxIII.